



1689.

- 229, b, c, d Thomarius, Christianus: De jure alyli legatorum  
acribus competente, occasione controversie Illustris,  
quam haecenus inter pontificem et Galliarum regem  
agitata sunt l. 4 Sump. 1689, 1721, 1730-1737.
- 239, b, b6, c, d Thomarius, Christianus: De validitate conjugii  
iuris parentibus contracti et per benedictionem sacer-  
dotis depositi consummati.
- 249, b, c Thomarius, Christianus: De serotate Nihilidici  
3. Sump.
251. Wandell, Joh. Philippus: De officiis parentum in  
liberos.



1887  
22. p. 1. Thomsen, Christian : *Ueber die Gesteine*  
des Nord-Schleswigs, insbesondere des Nord-Schleswiger  
Küstenlandes. 1. Aufl. 1887. 174 S. 12.00. 1887.  
23. p. 1. Thomsen, Christian : *Die geologische Karte*  
des Nord-Schleswigs. 1. Aufl. 1887. 174 S. 12.00. 1887.  
24. p. 1. Thomsen, Christian : *Die geologische Karte*  
des Nord-Schleswigs. 2. Aufl. 1887. 174 S. 12.00. 1887.  
25. p. 1. Thomsen, Christian : *Die geologische Karte*  
des Nord-Schleswigs. 3. Aufl. 1887. 174 S. 12.00. 1887.





DE JURE  
ASINI  
LEGATORUM ADIBUS  
COMPETENTE

occasione  
CONROVERSIE ILLUSTRIS

& Galbarum Regem

CONSENSU SUPERIORUM

DN. CHRISTIANI THOMASII

Preceptione in obsequium

CHRISTIANI SCHOLVINI





*[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]*

*[Handwritten text on the right edge of the page, possibly a page number or reference.]*





E. 23. num. 18.

Q. D. B. V.

1689, 23<sup>a</sup>

39.

5

De

VALIDITATE  
CONJUGII,

in vitis parentibus contracti & per  
benedictionem sacerdotis depositi  
consummati,

*Consensu Superiorum*

SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI THOMASII,

J Cti,

*Præceptoris sui summè devenerandi,*

Solenniter disputabit

Christian Gottfried Sulzberger /  
Lipsiensis.

*ad diem 5. Decembr. 1689.*

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI.












Q. D. B. V.

§. I.

*Occasio Disputationis.*



Accidit non ita pridem, ut Albertus Andreas S. cum Elisabetha S. insciis illius parentibus atque cognatis, sed hujus tamen parentibus & cognatis quibusdam consciis & opem ferentibus nuptias clandestinas contraheret, easque per benedictionem sacerdotalem sed à ministro ordinato quidem, at jam per aliquod tempus vel dimisso ab officio, vel etiam plane, ut suspicio erat, deposito, ac tum temporis ludimagistrum agente, factam, consummaret, ac insuper aliquot vicibus per non contemnendum temporis spatium iteratis cum nova nupta concumberet. Re verò patefacta pater mariti & consanguinei omnibus modis studere, ne matrimonium, quod consummatum esse tum ignorabant, consummaretur, quin & persuadere eidem, ut Elisabetham suam desereret, quasi ea vulgaris esset, & matrimonium istud consummatum variis ex causis nullum foret. Cum igitur maritus, ut in juvenili ætate constitutus, & cujus amor antea ad excessum usque æstuans jam rei desideratæ fruitione non parum diminutus erat, facile persuasionibus istis se in alteram partem flectere sineret, instituit Elisabetha actionem de Desertione adversus maritum, ante omnia verò desideravit alimenta sibi ex mariti bonis decerni. Quæstio igitur potissima, & quæ toti processui præjudicium facit, ista ventilatur, utrum matrimonium illud jure subsistat nec ne? Affirmat Elisabetha eò, quod matrimonium legitimis modis & per benedictionem sacer-

A 2

dota-



dotalem sit consummatum, & quod consensus patris à parte mariti non illegitimo modo fuerit neglectus, cum pater eo tempore ob imputatum crimen profugus, ac per sententiam postea propter id crimen condemnatus. Negat Albertus Andreas, quod dolo malo ad matrimonium illud celebrandum fuerit inductus, quod conjugium invitis parentibus celebratum sit ipso jure nullum, quodque hierologia non à justo Ecclesiæ ministro, sed à tali, qui ab officio depositus sit, & clanculum quidem fuerit facta. Accedere, quod per statutum patrium sponsalia in sciiis & invitis parentibus contracta nulla declarentur, quodque per Edictum aliquod pœnale ejusdem patriæ dispositum sit, ut si quisquam sponsalia illicite contracta vel clanculum, vel publice, vel intra municipium vel extra, vel per ordinarios, vel per exteros ecclesiæ ministros hierologia consummare tentet, etiam si ille actus ab utraque parte juratò factus fuerit, tamen nuptiæ ejusmodi post summariam saltem officii judicis implorationem pro nullis declarari deberent. Ad quæ tamen actrix regerit: statutum pertinere ad nuptias, non ad matrimonium consummatum: edictum vero pœnale loqui de clandestinis nuptiis filiarum, neque extentendum esse ad filios. Afferuntur equidem ab utraq; parte adhuc aliæ rationes, sed quæ vel secundariæ sunt, vel ad diminuendam magis famam adversæ partis, quam ad decisionem quæstionis principalis aliquid faciunt. Et quamvis magistratus, coram quo controversia ventilata fuit, maritum ab actione uxoris propter varias circumstantias singulares esse absolvendum, pronuntiaverit, impetravit tamen actrix revisionem actorum, atque adeo lis adhuc est in pendentibus. Obtinet interea utraque pars, ut fieri solet, responsa à diversis Facultatibus Juridicis, eaque publicis typis imprimi curat: Actrix quidem duo impetrat à Facultate Juridica L. quorum utrumque petito actricis defert & conjugium istud legitimum esse pronunciat: Ast responsa Facultatum Juridicarum R. & K. pro reo & nullitate istius matrimonii decernunt. Igitur cum hic illustria collegia in jure magis, quam in facto dissentire à se invicem videremus, dignum thema dissertationem Academicam meditantibus nobis visum fuit, si quæstionem hanc, an matrimonium invitis parentibus contractum atque  
per



per benedictionem sacerdotalem à ministro deposito consummatum jure subsistere possit, ventilaremus.

§. II.

*Status controversia & methodus dicendorum.*

Sed non expectabit hic quis, ut controvertentibus partibus nos immisceamus, aut iudicibus, quid pronunciare debeant, quicquam præscribamus. Uti enim hæc res ad nos haudquaquam pertinet, ita poterunt forte rationes & circumstantiæ speciales, quarum singulæ jus variant, subesse, quæ reum ab intentione actricis liberent, etiamsi quæstionem affirmaturi simus: posset actrix justam forte causam pro se allegare, quæ iudicem, ut pro ipsa pronunciaret, disponere possit, etiamsi controversiam simus negaturi. Multo minus autem arbitratorum partes nobis sumemus in componendo disfidio collegiorum Illustrium juridicorum, sed libertate Academica gaudentes citra ejus abusum, ac seposito omni partium studio disquisitione publica proponemus, quæ sit mens nostra intuitu quæstionis propositæ; vel potius quidnam arbitremur convenire jurisprudentiæ principiis & legibus divinis pariter atque humanis, utpote quarum studium profitemur. Si rem acu, quod ajunt, non tetigerimus, speramus Lectorem veniam daturum hominibus in difficillimo legum studio semper imbecillitatem agnoscentibus. Ne tamen ordine careat discursus noster, initio quidem de parentum consensu à liberis in contrahendis nuptiis neglecto differemus, & ista quidem fusius & ex fontibus quasi deducta; tum dispiciemus paucis de efficacia actuum ordinis à ministro ab officio deposito, utrobique tamen quantum ad intellectum quæstionis propositæ opus esse videbitur.

§. III.

*Conjugium est ens morale. Rerum moralium substantialia & accidentalia ac horum varietas.*

Est conjugium haud dubie res non physica, sed moralis, quæ essentiam a deo suam non ex creatione, sed ex impositione accepit. Præterea sive per illud intelligas conjunctionem ipsam, quæ est inter marem & fœminam, seu statum ex ista conjunctione ortum, non poteris conjugium ad illam classem entium, quæ substantiarum no-



mine insigniri solent, referre, sed necesse est, ut vel accidentibus idem accenseas vel ad modos novæ philosophiæ istud referas, vel cum aliis entibus moralibus in separata rerum classe colles. Et tamen, quod mirandum, conjugium unanimi Jctorum ore sua substantialia, essentialia & accidentalia habere dicitur. Quin imo sæpius disceptari solet, ad utram horum classem qualitas aliqua pertineat, uti quoad controversiam de errore circa virginitatem, notum est, Pontificiis Virginitatem ad accidentalia conjugii referentibus, Protestantibus contra eandem ad substantialia pertinere asserentibus. Hic igitur ne in limine statim impingamus, notandum est, per substantialia & essentialia, quatenus hæc de rebus moralibus prædicari solent, regulariter intelligi ea, quæ spectant ad definitionem istius entis moralis, & sine quibus concipere distincte rem non possumus. Accidentalia contra, quæ & suo ambitu hic naturalia sub se comprehendunt, ea denotare solent, quæ adesse & abesse possunt à negotio aliquo vel statu, ita ut definitio ejus non lædatur, *confer Dn. Pras. Dissert. de Feudis oblati c. 1. §. 34. seqq.* Unde insignis inter res phycas & morales oritur differentia. Istæ quam à creatore semel acceperunt essentiam, perpetuo retinent, unde vulgatum illud, essentias rerum esse æternas; Hæ quoniam ab impositione pendent, pro variatione hujus essentias quoque mutare; Ita alia fuit essentia feudorum antiquitus, alia hodie est, ita alia est essentia testamentorum antiqua, alia jure novo &c. Cæterum hæc variatio vel relinquitur liberæ voluntati hominum ratione utentium, maxime imperantium, ut regulariter id fieri solet in contractibus de meo & tuo; vel ob dispositionem legis divinæ aliquatenus est restricta, ut augere quidem essentiam rei cujusdam liceat hominibus, non autem eidem quicquam detrahere, atque ad horum classem pertinet etiam conjugium, cujus adeo substantialia seu essentialia pro diversitate jurium ita variant, ut modo plura; modo pauciora iisdem accenseantur.

§. IV.

*Conjugii essentialia pro diversitate legum  
varia.*

Etenim ut à jure divino faciamus initium, quantum quidem ad legem istam universalem attinet, quæ omnium hominum ætiam



etiam ethnicorum cordi inscripta est, infert ea per conjugium actum  
quendam conjunctioni momentaneæ oppositum, æque reliquis  
societatibus sine isto illud distinguit, quod pro fine sobolis procrea-  
tionem habeat, ut adeò sine his duobus requisitis conjugium intel-  
ligi non possit. *v. Locius Dn. Præs. in Instit. Jurisprud. divinæ lib. 3. c. 2.*  
At noluit sapientissimum Numen societatem hanc ab homine et-  
iam integro ex regulis solius rationis iniri, sed potius non sine ra-  
tionibus (quas tamen anxius inquirere velle temeritatis potius,  
quam laudabilis curiositatis esset) ipsam hanc primam hominum  
societatem instituit, & LLbus quibusdam munivit, quas seposito  
verbo divino vel frustra inquireremus, vel certè obscurissimè co-  
gnosceremus, utpote tunc consensu communi plerarumque gen-  
tium magis, quam firmis & solidis rationibus subnixi. Igitur hac  
lege positiva universali, quæ æque ac lex naturalis omnes homines  
& principes adeo summos quoscunque obligat, plura essentialia  
conjugio superaddita sunt, puta, indissolubilitas, interdictio poly-  
gamix simultaneæ utriusque, prohibitio conjunctionis cum sangui-  
ne proximis, & quæ sunt similia, quæ singula fusius deduxit iterum  
Dn. Præs. *d. l. 3. c. 3.* Ergo cum, uti jam dictum est, utriusque divinæ  
legi LLatores humani etiam subjaceant, facile patet, hos de essentia-  
libus lege divina conjugio positus nil quicquam detrahere posse.  
Neque enim facere possunt, ut conjugium sit citra consensum, ut il-  
la societas quæ procreationem sobolis non intendit, vel non inten-  
dere potest, pro conjugio habeatur: ut conjugium pro lubitu, aut  
citra causas lege divinæ permissas dissolvatur: ut polygamia simul-  
tanea sive virilis sive muliebris toleretur, ut personarum jure divi-  
no prohibitarum consortium admittatur &c. quamvis quod dolen-  
dum, non raro etiam à nostratibus quibusdam aduersus hanc ob-  
servationem vel conjugia cum eunuchis, vel cum personis lege di-  
vina prohibitis, præprimis si matrimonium jam dicatur consum-  
matum, defendi soleant, quod tamen prolixius discutere nostri in-  
stituti jam non est. Licet tamen principibus Christianis nova es-  
sentialia conjugio aut novas prohibitiones legi divinæ seipimenti  
quasi instar superaddere, ut homo ad peccandum inclinans non ita  
facile LL. divinas statim irruat, sed à transgressione Legum huma-  
narum initium faciendo (nam vitia æque ac virtutes regulariter per  
gra-



gradus in hominibus se solent exferere) à principe LL. divinarum custode debitis pœnis coërceri, & in viam aliquatenus revocari possit. Hinc non solum variaz legum dispositiones normam quandam, quomodo consensus in nuptiis efficaciter declarari debeat, præscribentes editæ sunt, sed & multi effectus conjugiorum jussu legislatorum certam quandam solennitatem aut factum humanum ad sui existentiam requirunt. Hinc personis non omnibus ad generandum capacibus matrimonia indulgentur, sed pro diversitate ætatis, autoritatis, status, & aliarum circumstantiarum, leges civiles variantes hac parte constitutiones ostendunt. Hinc publicæ honestatis i. e. decori gratia non permitti solent conjugia luctus debiti tempore inita: hinc certi ritus & solennitates judiciales inventæ, quibus omissis neque adulterium, neque malitiosa desertio vinculum conjugii dissolvat. Hinc etiam prohibitiones ad ulteriores gradus extensa sunt, & nova affinitatis genera, quæ jus divinum ignorabat, sunt inventa. Quæ omnia si à contrahentibus non observantur, aut contra ea factum fuerit, ex arbitrio principum nuptiæ pro nullis haberi possunt, tanquam essentialia non fuerint observata. Sed magna tamen inter essentialia matrimonii quæ à jure divino nanciscitur, & quæ à LLbus humanis proveniunt, differentia est, ut hæc posteriora princeps non solum durante legis dispositione dispensare, sed & ex arbitrio dispositionem legis tollere possit, utque haud dubie nullus princeps agnoscere teneatur essentialia ab alio principe superadditum, quorsum & id referimus, cujus jam supra mentio facta est, quod error circa virginitatem ad essentialia conjugii pertinere à nostris defendatur, negetur à Pontificiis.

§. V.  
*Distinctio inter matrimonium contractum & consummatum, ut & doctrina difficillima de sponsaliorum generibus, eorumque à nuptiis differentia, illustrata ex doctrina de emtione venditione. Comparatio pacti de vendendo cum sponsalibus de futuro.*

His ita generaliter præmissis videndum jam erit, utrum benedictio sacerdotalis & consensus parentum essentialibus conjugii annumerari debeant? quod tamen discutere sine confusione non poterimus, nisi enucleemus antea distinctionem inter matrimonium

con-



contractum & consummatum, ejusque originem paulo altius in-  
quiramus. Solet à JCtis inter quæstiones otiosas & ista sæpius pro-  
poni, utrum conjugium contractus sit nec ne? quam in rem ii, quo-  
rum jurisprudentia LL. Justinianearum ambitu saltem circumscri-  
pta est, multa in utramq; partem afferre solent, unica distinctione  
expedienda inter conventionem J. Gent. & contractum juris Rom.  
qui saltem de meo & tuo est, & præterea variis requisitis civilibus  
circumscribitur. Quicquid tamen hujus sit, non diffitendum erit,  
distinctionem inter conjugium contractum & consummatum, ac  
quæstiones huic affines, quæ communiter magnis tricis involvi so-  
lent, non melius & perspicuius explicari posse, quam similitudine à  
contractibus & quidem ab emtione Vend. desumpta. Proderit e-  
nim ista ut non solum per eam memoratam conjugii divisionem,  
sed & difficillimam sponsaliorum doctrinam, eorumque à nuptiis  
differentiam enucleare valeamus. Igitur ut una fidelia duos de-  
albemus parietes, mentem nostram sic cape: Cum tibi promitto,  
quod velim ædes tuas emere, aut quod eas tibi vendere velim, pre-  
tium autem nondum inter nos determinatum est, nondum est em-  
tio, sed pactum saltem de emendo vel vendendo, quod uti jure civi-  
li nullam producit actionem, ita moribus nostris neque hac parte  
aliquid est diversi. Et si enim hodie jure imperii quodlibet pactum  
actionem producat, tamen hoc casu ob deficientiam determinati  
pretii nihil adest, quod sibi adjudicari quis petere possit. Ergo po-  
terit hoc casu pœnitere uterque & quidem impune, nisi si arrhæ da-  
tæ aut receptæ sint, quæ vel perduntur, vel duplicatæ restituuntur  
pœnitentiâ subsecutâ, ut ex Institut. notum est. Huic pacto re-  
spondent sponsalia quæ vocantur de futuro, quæ & ipsa vel mutuo  
dissensu vel etiam ex unius desponsatarum personarum dissensu  
absque damno dissolvuntur, nisi quod de arrhâ sponsaliorum hie i-  
dem juris sit, quod de arrhis emtionis. Voco autem sponsalia de fu-  
turo, quæ vel ineuntur à personis, quarum utraq; vel una saltem ad  
nuptias contrahendas ob ætatem habilis est, vel quæ celebrantur  
etiam à personis habilibus, modo consensus non determinetur in  
præsens tempus, sed expressè differatur in futurum, quam in rem ex  
genio idiomatis latini non incongruè jus Can: hæc sponsalia ista for-  
mula efferre solet: ducam te in uxorem, utpote inter quam & al-  
B teram:



reram: ducō te, ingens est differentia, uti inter similes: emō & emam. Sed notanter dixi, idiomate latino. Nam quod nostram linguam attinet, recte jam suo tempore observavit B. Lutherys, homines plebejos istam differentiam inter verba futuri & presentis temporis ignorare: Es sey einerley / ob Hans zu Grieten spräche / ich nehme dich / oder ich wil dich nehmen. Quare moribus Protestantium vix habebis exemplum sponsaliorum de futuro, nisi inter personas ad nuptias adhuc inhabiles, (& hoc tamen inter privatos rarissime.) Nisi tamen dicere velis apud nos etiam inter personas habiles æquipollere sponsalibus de futuro istum actum, cum sponsus à sponsa & eius parente, vel ipse vel per alios consensum de matrimonio futuro impetrat, & utrobique annuli arrhæ loco permutari solent, quod appellare solemus das Jawort / de quo vero distinctius inspectio instituenda esset. Id quidem certum est, sponsalia de futuro plane non esse conjugium, neque contractum neque consummatum, uti pactum de Vendendo plane non est emtio-venditio.

§. VI.

*Emtio ipsa: sponsalia de presenti, nuptia contracta.*

Porro quam primum de pretio inter emtorem & venditorem conventum est, emtio venditio est contracta, & actiones utrobique oriuntur ad impletionem promissionis tendentes. Pari ratione quam primum sponsus & sponsa sibi invicem fidem conjugalem dant, sponsalia hæc vocantur de presenti, similem efficaciam pariunt, nisi quod in eo memorabilis sit differentia, quod emtio venditio consensu quocunque modo declarato subsistant, at sponsalia etiam de presenti ex dispositione legum Ecclesiasticarum tum demum ius firmum pariunt, si non clandestine sed talibus requisitis adhibitis, quæ publica sponsalia faciunt, sint celebrata. Hoc pacto enim demum sponsus & sponsa jus nanciscuntur ad implementum promissionis alteram personam moras neccentem adigendi. Memineris etiam similitudinem hac parte solum inter sponsalia & emtionem esse, non identitatem; unde terminos similitudinis egrediuntur, vel certe abusive nimis loquuntur, qui dicunt sponsum & sponsam habere adversus se invicem jus ad rem. Cæterum hæc sponsalia de presenti ipsum sunt matrimonium contractum, utpote ad



ad cuius essentiam consensus sufficit, non concubitus requiritur. Quod vero matrimonium hoc contractum sponsaliorum nomine usu juris insigniri soleat, ideo fit, quod olim consensus matrimonialis solenni sponsione celebratus fuerit. Hinc post sponsalia de presenti sponsus & sponsa in multis jure viri & uxoris censentur. Unde filius post sponsalia de presenti conceptus habetur legitimus, cum tamen filius legitimus non sit, nisi qui ex viro & uxore ejus nascitur; unde jure Civ. sponsa, moribus nostris etiam sponsus adulterium committunt. Quod tamen est violatio vel thori, vel hodie fidei conjugalis.

§. VII.

*Circa doctrinam de sponsalibus de presenti & futuro eadem est doctrina juris Justiniani, Pontificii, & morum hodiernorum.*

Est quidem communis Ddorum sententia, aut si mayis, error communis, quoad divisionem sponsaliorum memoratam insignem intercedere differentiam inter jus Rom. Pontificium & mores nostros. Jus Rom. non nisi sponsalia de futuro agnoscere, *arg. l. 1. & totius tit. ff. de sponsal.* quæ vero sponsalia de presenti jure Can. appellantur, ea esse ipsum matrimonium jure Rom., utpote quod consensu fiat non concubitu *l. 30. d. R. f. l. 15. d. condit. & dem.* Sed jus Can. primum introduxisse distinctionem sponsaliorum in de presenti & futuro *per cap. penult. X. de sponsal.* Quare necesse esse, ut secundum hanc juris dispositionem sponsalia de presenti ab ipso matrimonio differant, ita ut ad matrimonii essentiam hoc jure benedictio sacerdotalis & concubitus requiratur. *arg. can. aliter. 1. Caus. 30. quest. 5.* Denique moribus nostris exulare sponsalia de futuro & solum recepta esse de presenti sponsalia, cum scil. hodie nihil intersit, utrum verbis de presenti vel de futuro præprimis Germ. idiomate, ut supra jam ipsi indicavimus, fidem conjugalem declaremus; sed observavit jam & larvam huic errori detraxit illustre Belgii fides *Ulr. Huberus in observat. jur. Human. seu Digress. Justinian. p. 1. l. 2. 6. 7. 8. & 9.* ubi evidentissime ostendit harmoniam insignem inter usum antiquum pariter & modernum utriusque juris Cæsarei pariter & Pontificii. Scilicet Romanis etiam sponsalia de presenti erant cognita, quæ promiscue modo nuptiæ, modo sponsalia dicebantur, probant id multi loci ex Romanis scriptoribus



Hubero adducti, quos inter potissimus est Gellii lib. 4. c. 4. Qui u-  
xorem ducturus erat, stipulabatur e in matrimonium ductum iri, qui  
daturus erat, itidem spondebat daturum; is contractus stipulationum  
sponsionumque dicebatur sponsalia, dumque promissa erat, sponsa appel-  
labatur, qui sponderat ducturum, sponsus. Quo respicit Ulp. l. 2. d.  
sponsal. & Florentinus l. 1. § 3. eod. ubi per nuptias futuras intelli-  
tur in domum deductio, & festiuitas nuptialis arg. l. 9. eod. Quan-  
do vero sponsalia matrimonio opponuntur, ut in l. 14. ff. eod. subin-  
telliguntur sponsalia de futuro ab impuberibus celebrata. Porro  
de iure Can. ad essentiam solum consensum sufficere evidenter ex  
can. 25. § seqq. caus. 27. qu. 2. Ex cap. tua fraternitati. 25. X. de sponsal.  
probat. Mores quod concernit, iam supra §. 5. ostendimus, apud  
nos hodie sponsalia de futuro non plane desisse in usu esse,  
quamvis rarius eadem usurpari non diffitear.

VIII.  
*Sponsalia conditionata; emtio sub conditione. Error commu-  
munis; sponsalia conditionata pertinere ad sponsalia de futuro.*

Antequam ad matrimonium consummatum progrediamur  
pauca quaedam monenda sunt de sponsalibus conditionatis. Sci-  
licet contrahuntur sponsalia aut pure, aut adiecta die, aut sub con-  
ditione. Lancell. Instit. Jur. Can. lib. 2. tit. 10. § 6. Pure si absque men-  
tione diei aut conditionis fides conjugalis mutua datur; corre-  
spondet his emtio pura. In diem, quum quis intra certum tempo-  
ris spatium aliquam se ducturum esse convenit. Lancell. d. l. § 7.  
Ubi tamen minus apposite addit, promittentem hoc casu si per-  
eum non steterit, quo minus intra præfixum terminum cum sponsa  
matrimonium contraheret, libere ad nuptias personæ alterius  
transire posse. Etenim quemadmodum emtio in diem contracta  
non hoc vult, ut post elapsum diem debitor à debito liberetur, sed  
ne creditor intra diem solutionem debiti à debitore exigat; Ita  
sponsalia in diem contrahens, hoc egisse censendus est, ut ad con-  
summandum matrimonium non possit adigi, antequam dies vene-  
rit, non ut existente die à promisso liberetur, confer Magnif. Dis-  
Ziegl. in not. ad Lancell. d. l. §. 7. p. 394. At sponsalia sub conditione  
contracta sunt, cum quis fidem conjugalem, si quid de futuro con-  
tigit



tigerit, promittit. l. X. de condit. appost. Similis his sponsalibus est  
emtio conditionata, & ex hujus natura communis Dd error de  
sponsalibus conditionatis perspicue ostendi poterit. Nimirum  
referunt Dd. sponsalia conditionata ad sponsalia de futuro. vid.  
Carpz. Jprud. Consult. lib. 2. d. 20. n. 4. nec ab hac opinione alienus est  
accuratissimus alias Jctus Ulr. Huberus part. 1. Digress. lib. 2. c. 7. circa  
fin. p. m. 120. edit. noviss. ubi sponsalia de futuro quoad usum hodie-  
num inter eos etiam esse adserit, qui conditione suspendere nuptias  
cupiunt. Originem huic opinioni dedisse videtur partim abusus  
argumenti ab etymologia, cum convenientius videretur, sponsalia  
sub conditione futuri temporis contracta sponsalibus de futuro an-  
numerare, quam sponsalibus de presenti, partim non recte intelle-  
cta verba Lutheri, dum in libello von Ehesachen sic differit: Das  
ließ sich wohl verba de futuro heißen/ wenn eine Condicio, Anfang  
oder Zusatz darbey gesetzt würde/ als: Ich wil dich haben/ wo du  
mir wilt zu gut ein oder zwey Jahr harren. It. Ich wil dich ha-  
ben/ so du mir 100. fl. mitbringest/ so deine oder meine Eltern wol-  
len/ u. d. gl. In solchen Worten wird der Wille nicht frey darzu  
gegeben/ sondern auffgehoben und an etwas verbunden/ das in  
seiner Macht nicht stehet/ und darum auch damit zugleich bekennet/  
daß er sich noch nicht thun könne/ und sein Wille noch nicht frey  
sey/ darum bindet auch solches Verlöbniß nicht als per verba de  
presenti, cons. Carpz. d. def. 20. n. 4. Loquitur enim hic Lutherus  
non determinative, ac si essentiam sponsaliorum de futuro determi-  
nare velit, sed per solam concessionem, quod Pontificiis adversari  
nobis si promissionem conditionatam haberent pro verbis de futu-  
ro. Sed sponsalia conditionata minus convenienter sponsalibus  
de futuro accenseri ex eo liquet, quod hæc supra comparaverimus  
cum pacto de vendendo, à quo utrique contrahentium recedere li-  
cet. Quis vero arbitretur, emtionem conditionatam non plus  
inferre quam pactum de emendo, cum ab emtione conditionata  
neutra pars alterâ invitâ recedere possit. Similiter recte quidem  
monet Carpzovius, à sponsalibus conditionatis ante conditionis  
existentiam non licere uni contrahentium invitâ alterâ recedere vid.  
Carpz. d. h. def. 21. sed parum cum propriâ ejus hypothesi coherent,  
quod adversam Alberici Gentilis & Masseri sententiam pro impia



& periculosa ventilat: si enim sponsalia conditionata pertinent ad sponsalia de futuro, nihil impii & scandalosi subest, si defendamus, sponsalia conditionata posse unius dissensu dissolvi, quoniam utique sponsalia de futuro ita dissolvi possunt. Nec mirandum adeo, quod ipse Carpz. *alibi* & *nempe lib. 5. R. 109. n. 5.* sententiam istam, quam hic impiam & scandalosam vocat, cum Beusio & Schneidvino defenderit. Igitur quemadmodum emtio vel pura est, vel conditionata, ita longe convenientius adversus communem doctrinam dicere poteris, sponsalia de presenti esse vel pura vel conditionata, & ex doctrina de emtione conditionatâ postea non difficulter ad sponsalia conditionata argumentari, si solummodo id notaveris, conditiones turpes, quæ non destruunt conjugii essentiam, si sponsalibus adjiciantur, haberi pro non adjectis, cum in emtione vel aliis contractibus ex natura contractuum longe aliud sit receptum. Sed hanc differentiam introduxit Jus Can. *cap. ult. X. de condit. app.* in favorem, ut *ibid.* dicitur, matrimonii; inconvenientissime, ut arbitror, in tantum, ut commode huc trahere possimus Constit. Trajani de privilegiis testamenti militaris §. 1. *J. d. mil. testam.* verbis solum quibusdam paululum immutatis: *Is favor qui matrimonia datus est, ut quoquo modo declarata voluntas contrahentium rata sit, sic intelligi debet, ut utique prius constare debeat matrimonium contrahentes inire voluisse.* Ubi enim nullum matrimonium est, nec favor matrimonii erit. Jam uti qui sub conditione impossibili contrahit, ludere voluisse censendus est, ita etiam qui quid promittit sub conditione turpi, quum quilibet qui recta ratione gaudet, cognoscat, eam hæcenus impossibilibus ob LL. prohibitionem æquipollere. Sed considerasse videtur Jus Can. matrimonium ut rem per se subsistentem, vel certè ex errore à nostratibus rejecto, quod matrimonium sit sacramentum, istum favorem, ut multa alia in hac doctrina contra rationem invenisse, & quamvis sciam, à nostratibus hanc juris Can. doctrinam defendi, sub prætextu, ut petulantia eorum, qui pudicitia imbecillis sexus insidias struunt, per ejusmodi conditiones turpes, frenum injiciatur, *vid. Carpz. d. l. def. 23. n. 8.* tamen hic considerandum fore (1.) utrum proportionata sit hæc pœna petulantia isti, si quis invitus consortio indissolubili, & quod cum maximis animi cruciatibus conjunctum esse potest, subji-



subjiciatur (2) in presenti non tam quaestionem esse de concubitu  
dolose per promissionem ejusmodi conditionatam impetrato,  
quam de promissione sub conditione turpi simpliciter & absque  
concubitu considerata. (3) si ideo toleranda deciso juris Can. ut fre-  
num ejusmodi petulantiae injiciatur, non posse ostendi rationem  
disparitatis inter condiciones turpes, quae substantia matrimonii  
adversantur, & quae matrimonium non attingunt, quam tamen jus  
Can. praesupponit, d. cap. ult. de condit. appof. praepriis quum con-  
cubitus a petulantibus ejusmodi saepius, ut arbitror, impetrari so-  
leat sub conditione matrimonii finem destruyente, v. g. *Pro generatio-  
nem proles evitet*, quam sub alia turpitudine.

§. XI.

*Comparatio inter emtionis consummationem & matri-  
monium consummatum.*

Quam primum celebrata est emtio, tendit ad domini transla-  
tionem, quae regulariter fit per traditionem seu translationem pos-  
sessionum, quo facto emtor, qui antea jus ad rem saltem habebat,  
jam jure in re fruitur & dominus rei dicitur. Sic & sponsalia de  
praesenti tendunt ad generationem sobolis, quae non nisi per com-  
municationem corporum impetrari potest, concubitus igitur, etsi  
matrimonium non perficiat, hoc est, ad essentiam ejus non perti-  
neat, consummatamen, & ab hoc tempore qui antea sponsus &  
sponsa vocabantur, jam ab omnibus pro marito & uxore habentur.  
Quod jus mariti & uxoris ideo convenientiam aliquam quidem ha-  
bet cum jure in re emtoris intuitu rei traditae, sed inconvenienter  
tamen a quibusdam hac phrasi effertur, quasi maritus post concu-  
bitum jus in re accipiat. Caeterum uti per statuta specialia intro-  
duci potest, ut emtionis consummatio per traditionem a contra-  
hentibus non pro lubitu expediri possit, sed solennitatibus quibus-  
dam hic opus esse debeat, quibus absentibus traditione dominium  
non transferatur: quemadmodum apud nos judiciali adjudicatio-  
ne atque resignatione & quasi investitura magistratus in transla-  
tione domini rerum immobilium est opus; ita & ex lege positiva in  
doctrina conjugii introductum est, ut non semper liceat sponso &  
sponsae consummare conjugium per conjunctionem carnis, sed be-  
nedictione sacerdotali praecedente sit opus, eaque neglecta sponso

&



& sponsa concumbentes pro marito & uxore nequaquam haberi poterunt. Erit igitur iuste atque omninò consummatum matrimonium, si & benedictio sacerdotalis accesserit, & concubitus subsequutus fuerit, *conf. Habnium ad Wesenb. de R. N. n. 2. f. m. 96.* quamquam ab aliis varii modi alii, quibus matrimonium consummetur, recenseri soleant, quos vide apud *Capz. Respons. lib. 5. Resp. 108. num. 11. seqq.*

§. X.

*Differentes effectus matrimonii perfecti & consummati.*

Cæterum uti jus emtoris post traditionem longe firmitus est, quam antea, cum dominium non ita facile interverti possit, uti jus ad rem, ita secundum dispositionem juris communis etiam matrimonium consummatum fortius adhuc vinculum injicere censetur contrahentibus quam ipsum matrimonium perfectum & sponsalia de præsentì, pluresque adeo effectus tam intuitu personæ, quam intuitu bonorum producere solet. Unde accidit, ut in legibus quæ civilibus, quæ canonicis sub voce mariti & uxoris sponsus & sponsa modo contineri soleant, modo marito & uxori opponantur, prout nempe de differentibus vel uniformibus effectibus matrimonii perfecti & consummati sermo est. Quos singulos recensere uti nostri instituti non est; ita tamen de eo distinctior dispectio ad scopum nostrum pertinet: quod ex pluribus causis dissolvi posse censeantur sponsalia de præsentì, quam matrimonium consummatum, unde diversa quoque doctrina de repudiis esse solet à doctrina de divortio, quodque per benedictionem sacerdotalem & conjunctionem carnis quandoque confirmari credatur matrimonium antea ipso jure nullum. Quemadmodum vero quoad hanc assertionem ultimam plane ab aliis conventionibus etiam ab emtione receditur, in quâ traditio non solet emtione nullam corroborare; ita etiam si quoad prius convenientia inter emtione & matrimonium ostendi posset, tamen cavendum est, ne terminos argumentandi à simili hîc transgrediamur, eò quod matrimonium, utpote à Deo institutum, non ita arbitrio humano quoad rescissionem subjaceat, uti alii contractus. Ergo cum lex divina in materia conjugii primaria norma esse debeat legum humanarum, sollicitè nobis dispiciendum



dum erit, ne fortè per distinctionem illam inter matrimonium perfectum & consummatum, & diversos effectus intuitu rescissionis aut confirmationis, præjudicium institutioni divinæ fiat, quod commodius fortè fieri non poterit, quam si originem distinctionis illius à primordio consideremus, simulque expendamus, an perpetuo repudiorum & divortiorum recepta differentia in usu fuerit, tum his præmissis disquiramus de confirmatione sponsaliorum, nullorum per benedictionem & copulam.

*De matrimonio perfecto & consummato apud Hebræos &*

*si in hac parte differentia fuerit inter repudium*

*& divortium.*

Cum Deus matrimonium institueret, benedixit simul, novi vero conjuges ex intervallo & in statu quidem post lapsum copula carnali matrimonium consummarunt. Cæterum benedictio divina pro essentiali conjugii nunquam fuit habita, nec haberi potuit, quia Deus non legitur in sacris literis matrimoniis reliquis patriarcharum interfuisse, ac ipsis benedixisse. Quamvis vero præsumendum sit in conjugiiis primævis benedictionem parentum & agnatorum, tum etiam successu temporis sacerdotum in solennitatibus nuptiarum intervenisse, nusquam tamen extat præceptum eâ de re in sacro Codice, ac si hæc benedictio necessario ad essentialiam conjugii fuerit requisita. Id quidem constat ex variis scripturæ textibus inter consensum nuptialem atque deductionem in domum ac concubitum honestatis gratia frequenter aliquod spatium intercessisse, unde forte inter matrimonium perfectum & consummatum posses distingvere, sed neque hoc fuit perpetuum, neque differentia ulla ratione validitatis aut rescissionis inter hunc duplicem statum novorum conjugum ostendi poterit. Quin potius multa sunt, quæ contrarium nobis persvadent. *Genes. 19. vers. 24.* Lothus generos suos appellat, qui filias ejus ducturi erant. Fuerunt itaque generi ante deductionem & concubitum. In historia Rebecca proxeneta Isaac noluit concedere decendum sponsæ, sed proximo à sponsalibus die sponsam sponso adduxit, qui eam sine ulla morâ domum duxit. *Gen. 24. vers. 50. seqq.* Jacobus *Genes. 29. v. 21.* à Labane Rachelem postulat. Cedo, inquit, uxorem meam, quoniam completi sunt dies  
C mei,



mei, ut congregiar cum ea. Ergo uxorem vocat ante concubitu-  
tum, quæ modo desponsata erat. In ipsa lege divinâ, quâ dispositum  
erat, ut adulter & adultera capite puniri debeant, expresse *Deuter.*  
*22. v. 23. 24.* idemtas observari jubetur sive cum desponsata alteri  
adulterium fuerit commissum, sive cum ea, quæ jam fuit ducta,  
quin & in priori casu qui desponsatam vitiauit, disertè uxorem alie-  
nam vitiaffe dicitur. *Eodem capite v. 28.* disponitur, ut is qui virgi-  
nem stupret, eo ipso sine aliis solennitatibus maritus ipsius factus  
esse debeat *Conf. can. egressus. 41. C. 27. qu. 2. Hildebrand. de Nuptiis*  
*Vet. Christ. p. m. 56. Havemannus de Jure Connub. lib. 1. tit. 1. posit. 6. p.*  
*12. & seq.* ubi à nostra sententia dissentit. Quod repudium atti-  
net, appositè ad mentem nostram quadrant verba Seldeni in *Uxore*  
*Ebraica lib. 3. c. 18. p. m. 310.* Repudium seu ejectio uxoris idem est quod di-  
vortium. *Neq. discriminis vulgaris inter Divortium & Repudium hic u-*  
*sus. Utroq. ipsum matrimonii contracti vinculum dissolvatur, idq. tam*  
*post sponsalia ante Deductionem seu Nuptias, quam post deductionem, jux-*  
*ta ea quæ ostensa sunt.* Ostendat autem in præcedentibus, solere Jctis  
Hebræis sponsalia & Nuptias ita secerni, ut sponsalia sint ipse con-  
tractus matrimonii, nuptiæ ipsa deductio in domum seu thalamum:  
Adeò verò ex ipsis sponsalibus, tametsi nuptiæ nondum accederent,  
factam esse uxorem, ut non solum quisquis præter sponsum cum eâ  
rem haberet, is ultimo supplicio esset puniendus, sed ut nec sine li-  
bello repudiî post matrimonium seu sponsalia ejusmodi potuerit  
sponsa ejici *d. l. l. 2. c. 1. p. 93.* Neque obstare putat Seldenus, quod in  
Lege Mosaica ubi de libello repudiî disponitur, *Deuter. 24. v. 1.* se-  
cundum communem versionum variarum expositionem, Moses lo-  
quatur de tali uxore, quæ per concubitum uxor facta est, quippe vo-  
cem illam *בעלה* quam Lutherus reddidit; und ehelicht *Sie*;  
etiamsi de congressu maritali intelligi debeat, tamen non intelligen-  
dam esse restrictive, sed ampliative, ut sensus sit: Cum vir acceperit  
uxorem, etiamsi cum ea concubuerit seu deduxerit, *Ibid. d. p. 310.*  
Neque omittenda sunt alia ad nostram quæstionem facientia, quæ  
in præfato libro eruditissimè observavit Seldenus. *Lib. 2. c. 2.* agit de  
triplici sponsaliorum ritu apud Hebræos per pecuniam seu numu-  
lum per libellum, & per coitum. Quo ultimo modo contracta  
sponsalia etsi subsisterent, tamen eorum usum à majoribus interdi-  
ctum



Etum esse notat p. 97. idque sub pœna verberum, ne honestas publica ab Israelitis violaretur. *Caput 8. ejusdem libri 2.* agit de præstituto seu permisso puellis desponsatis ante deductionem moræ tempore & castitate interea observanda. *Caput 12.* Benedictionem Deductioni in thalamum, atque ipsis nuptiis præviam exhibet. *Caput 13.* introductionem in chuppam seu thalamum conjugalem, unde nuptiæ undiquaque consummatæ dicebantur, explicat, ubi p. 133. nostræ sententiæ favent iterum ista verba: *scilicet si vinculum matrimonii spectas, in quantum plane personale erat, ex ipsis sponsalibus seu pactione conjugali firmum habebatur, ac ratum; sed si etiam dotis incrementum, successionem unde vir etiam, & concubitu aliave ejusmodi invicem conjugum commoda, jura ac officia consideres, non eadem erit illis sponsalium ratio ac vis ante, quæ post deductionem.* Ex dictis patet facile, quid sentiendum sit de Franc. Hotmani opinione, dum de sponsal. cap. 5. p. m. 364. ait: jure divino in concubitu aliud jus sponsi, aliud mariti esse. Nam concubitu inter conjuges ab Apostolo honestum appellari 1. Cor. 7. v. 3. inter sponsum vero & sponsam divinâ lege improbari Deut. 20. v. 7. Nam vellem audire quod argumentum ex dicto Deuteronomii loco pro sua sententia Hotmannus formaturus esset.

§. XII.

*Quid juris hac parte fuerit apud Romanos sub statu Paganismi.*

Antequam ab Hebræis ad Christianos progrediar, commodum erit, prius scrutari, quænam Romanorum in statu Paganismi de matrimonio perfecto & consummato, atque de divortio & repudio sententia fuerit, eò quod Gentilium leges plurimas Pandectis & Codici quoad hanc doctrinam etiam inseruerit compilator juris Justiniani, quodque jam seculo quarto, cum Christianismum ipsi Imperatores profiteri inciperent, multa ex moribus Romanorum præcedentibus retenta fuerint. De Romanis autem solum sollicitus sum. Nam quæ apud Græcos vel alias Gentes in usu fuerint, videri possunt apud Arod. pandect. rer. judic. lib. 4. tit. 17. Ergo apud Romanos sponsalia quæ supra de futuro diximus, hoc est inter eas personas, quæ nondum ad nuptias ob ætatem capaces erant, nuptiarum nomine non veniebant, sed eis opponebantur. *Sponsalia*



ait Julianus l. 11. de sponsal. sicut nuptiæ consensu contrahentium fiunt, & ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiam familias consentire oportet, cui affinia sunt, quæ habet Modestinus l. 14. eod. etiam si in domum deductio secuta fuerit. Diserte Ulpianus l. 9. eod. Quæsitum est apud Julianum, an sponsalia sint, ante duodecimum annum si fuerint nuptiæ collata? Et semper Labeonis sententiam probavi existimantis, siquidem præcesserint sponsalia, durare ea, quamvis in domo loco nuptiæ esse cæperit, si vero non præcesserint, hoc ipso quod in domum deducta est, non videri sponsalia facta. Quam sententiam Papinianus quoque probat. Quibus non obstant ea, quæ scripsit Neratius: l. 8. de condict. caus. dat. Quod Servius in libro de dotibus scribit, si inter eas personas, quarum altera nondum justam ætatem habeat, nuptiæ factæ sint, quod dotis nomine interim datum sit, repeti posse, sic intelligendum est, ut si divortium intercesserit prius, quam utraque persona justam ætatem habeat, sit ejus pecuniæ repetitio. Donec autem in eodem habitu matrimonii permanent, non magis id repeti possit, quam quod sponsa sponso dotis nomine dederit, donec maneat inter eos affinitas &c. Et si enim dixerit Servius, nuptias factas esse inter personas, quarum altera non habuit justam ætatem, tamen nuptias abusive hinc sumi ostendunt ea, quæ mox sequuntur de habitu, i. e. specie & imagine matrimonii, cui accedit, quod in eodem textu alia occurrant vocabula catachresticè magis usurpata, quam ex regulis artis, ut adffinitatis, & forte etiam divortii, per ea quæ mox dicemus. At sponsalia de præsentibus quæ supra §. 7. etiam de jure Romano in usu fuisse ostendimus, fuerant ipsum matrimonium quod perfectum dicimus. Perfectum autem matrimonium fieri per consensum crediderant Romani d. l. 30. d. R. 7. consummari per deductionem in domum & concubitum. Atque hoc posterius, quod ritus ducendi in domum non ad essentiam s. perfectionem conjugii, sed ad ejus consummationem saltem pertinuerit, egregie ut solet, adversus Hotmannum demonstravit Consultissimus Huberus Digress. Justin. part. 2. Lib. 1. cap. 11. 12. & 13. Quin & Romanis benedictionem sacerdotalem vel hujus instar non fuisse omissam ex confarreatione antiqua, cui præerant Pontifex Maximus & Flamen Dialis, ex sacris nuptialibus Livio memoratis, ex nummo Adriani figuram præ se ferente Imperatoris dexteram jungentis Imperatrici intermedio sacrificio, atque

ex



ex aliis argumentis ostendit Seldenus in *Ux. Ebr. lib. 2. cap. 21. § cap. 28. p. 108.* Jam quod divortia ac repudia attinet, id quidem non diffidendum est, quod inter utrumque hæc fuerit differentia. Divortium proprium erat matrimonii jam consummati, repudium nomen commune est, quod & de sponsalibus utrisque & de matrimonio consummato usurpatur, quamquam fere Jcti ad meliorem distinctionem à Divortio repudium de renunciatione sponsaliorum prædicare soleant. Hinc Modestinus *l. 101. §. 1. d. V. S. Divortium inter virum & uxorem fieri dicitur; repudium vero sponsæ remitti videtur, quod & in uxoris personam non absurde cadit, & Paulus l. 191. eod.* Inter divortium & repudium hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest, non rectè autem sponsalia divertisse dicitur, quod divortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eant, qui discedunt. Unde cum partes easdem nondum habeant sponsus & sponsa, inepte quoque divortium de iis dici, intentio Pauli est. Consentit Gajus *l. 2. pr. §. 1. & 2. de divortis.* Divortium vel à diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. In repudiis autem, i.e. renunciatione comprobata sunt hæc verba: tuas res tibi habeto: item hæc: tuas res tibi agito. In sponsalibus quoque discutiendis placuit, renunciationem intervenire oportere. In qua re hæc verba probata sunt: **Conditione tuâ non utor.** Sed cave hîc, ne putes Gajum id intendisse, quasi intuitu matrimonii consummati inter divortium & repudium hæc sit differentia, quod divortium re ipsa fieri possit, in repudio verò verbis opus sit: siquidem divortium sine repudio verborum fieri non poterat, & post repudium regulariter ipsum divortium sequi debebat. Innuunt hoc *lex 3. §. 9. ff. de divort.* & facit huc elegans casus apud Ciceronem de eo, qui uxore gravidâ in Hispaniâ relictâ Romæ aliam duxerat, priori verò repudium non miserat, ubi potissimum facit, quod solo facto, & secundis nuptiis absque repudio divortium fieri nequeat. Vide *Ærodius lib. 4. rer. jud. tit. 17. cap. 9. p. m. 231.* Similem quæstionem movet idem *Ærodius eod. lib. 4. tit. 4. cap. 2. p. 222.* de Metello qui Lepidam sponsam repudiaverat, quam postea Cato sibi desponderat. At Metellus quem postea repudii poenituerat, sponsam Catonis uxorem ducit. Poterat hoc factum eadem ratione impugnari. Licebat utique sponsæ repudium mit-



tere Catoni; absque eo nuptiæ cum priori sponso videbantur injustæ. Cæterum etsi Paulus dixerit, non recte divortium de sponsis dici, dixit tamen, ut modo adduximus, id Neratius *in l. 8. de condiç. caus. dat.* vel abusive, ut vult Gœdd. *ad l. 101. §. 1. d. V. S.* vel quod mihi probabilius videtur citra notam improprietatis satis appositè. Loquitur enim de casu, ubi post sponsalia ante consummatum matrimonium aliqua irregularis deductio in domum accesserat, quod aliquando Romanis fuisse frequentatum ex Ulpiano *l. 9. de sponsal.* simul memoravimus. At hic nihil repugnat, quin divortium prædicetur, cum & hîc utique necesse sit, ut in diversas partes eant, qui à sponsalibus ejusmodi recedant. Quicquid vero hujus sit & fuerit, sane differentia quoad voces inter divortium & repudium apud Romanos, reipsa nulla fuit. Nam licuit & sponso & sponsæ, & marito & uxori apud Romanos in statu Paganismi ob quascunque causas repudium mittere atque divertere, sive sponsalia fuerint de futuro, sive de præsentî, & sive matrimonium fuerit perfectum sive consummatum. Idque efficaciter, nam quamvis in Legibus & historiis Romanis sæpius causarum justarum divortii fiat mentio, eæque etiam determinantur; tamen hoc non ita est intelligendum, quasi omissis istis causis divortia & repudia nullum effectum habuerint, sed quod saltem pars nocens dote aut aliis bonis fuerit privata, vel aliis insuper pœnis affecta. Vide *Ærod. d. tit. 14. §. 17. Sigon. de antiq. jure Rom. c. 9. Selden. Ux. Hebr. lib. 3. c. 27. p. 402. seqq. Gottofred. ad Codic. Theod. tit. de repudiis, aliosque.* Atque hanc divortiorum licentiam videntur Romani, ut multa alia à Judæis hausisse.

§. XIII.

*De matrimonio perfecto & consummato intuitu Christianorum, ac de origine horum respectu benedictionis sacerdotalis.*

*Litigium inter Christianos de divortiorum causis & de fundamento distinctionis inter diversas repudiorum & divortiorum causas.*

Prodiit anno 1654 tractatus M. G. D. in quo autor demonstrare intendit: benedictionem sacerdotalem pertinere ad essentiam & formale conjugii, potissimum propterea, quod Deus in ipsa conjugii institutione benedixerit, & quod Christus in novo testamento dixerit,



xerit, non esse separandos ab hominibus, quos Deus conjunxerit, Deum vero hodiè non conjungere immediate, sed mediantibus sacerdotibus. Sed hanc opinionem erroneam pronunciarunt Theologi Jenenses in *appendice ad Dedekenni Consilia* f. m. 850. & Hildebrandus *de nuptiis Veterum Christianorum* M. 1. summam probat, Hierologiam Ecclesiasticam nec jure divino, nec jure naturæ, nec Justiniano ad essentiam matrimonii contracti pertinere. Ut adeò de matrimonio contracto fere hodiè dubium non supersit, ad hoc non esse necessariam benedictionem sacerdotalem. Cæterum annon saltem ad consummationem matrimonii ista benedictio sit necessaria, majus dubium oriri posset. Etenim jure Pontificio, secundum quod matrimonium inter sacramenta refertur, juxta quorundam sententiam antea sacramentum id non est, nisi Ecclesiastica benedictio accedat. *Dn. Petr. Müllerus in dissert. de Hierologia cap. 1. th. 7. Seldenus Uxor. Ebr. lib. 2. c. 28. p. 216. Et c. m. 1. C. 30. qu. 5.* aliter legitima matrimonia non esse censentur, nisi à sacerdote benedictum fuerit. Nostri vero etsi matrimonium pro sacramento non habeant, nec tamen benedictionem sacerdotalem inter adiphora volunt censere, sed omnino legitimum matrimonium id solum habent, in quo sacerdos novis conjugibus benedixit, unde communiter distinguunt inter necessitatem ad esse & ad bene esse. *Vid. Jenenses in appendice Dedekenni d. l. Hierologiam ad bene esse conjugii necessariam esse arbitantes, quod videtur idem esse, ac si inter contractum matrimonium & consummatum distinxerint, ut sensus sit, Hierologiam non pertinere ad esse conjugii, ad contractum matrimonii, sed sine eâ conjuges fidem conjugalem sibi invicem debere, & eandem violantes, adulterii esse reos, at esse necessariam tamen ad bene esse conjugii ad consummationem ejusdem, ut conjugium non habeatur antea pro legitimo, nec liberi inde prognati legitimis accenseri debeant. Sed neque juris Canonici, neque doctrinæ nostrorum hanc esse sententiam penitus rem considerantibus patebit facile. Etsi enim Pontificii conjugium pro sacramento habeant, tamen nec omnes consentiunt, quod benedictio sacerdotalis demum sacramentum faciat, vid. Selden. d. l. Magn. Dn. Ziegl. ad Lancell. p. m. 380. neque benedictionem ad essentiam conjugii consummati requirere videntur, etsi olim ea sententia videatur in*

usu



usu fuisse, eoque spectare *dictus canon 1. C. 30. qu. 9. Franciscus de Roje Instit. Jur. Can. lib. 11. Tit. 9. §. 6. p. m. 178.* Imò quamvis & secundum sententiam noviorum sine benedictione liberi non videntur esse legitimi hoc jure, *Lancellott. Instit. lib. 2. tit. 12. §. 11. p. m. 442.* & ibi *Dn. Ziegl.* tamen ad consummationis essentiam propterea benedictio non requiretur. Nam sponsalia quæ supra diximus de futuro, conjugium initiatum vocant, sponsalia de præsentì matrimonium contractum (vel intuitu sponsaliorum præcedentium de futuro, matrimonium ratificatum) consummatum autem appellant, cui copula carnalis accessit, id vero, in quo ritus ecclesiastici fuerunt adhibiti, legitimum dicunt, & id conjugio rato contradistingvunt *Lancell. lib. 2. tit. 9. §. ult. & tit. 12. §. 11. ac passim tit. 10. & seqq.* Doctores autem nostrarum Ecclesiarum dum hierologiam ad bene esse conjugii requirunt, nec inter adiaphora eandem numerant, solum hoc volunt, conjunctionem sponsi & sponsæ esse illegitimam intuitu solennitatum Ecclesiasticarum, adeoque eosdem poenis debitis Ecclesiasticis esse coërcendos. Scilicet est equidem mos benedicendi novis conjugibus satis antiquus, & solet communiter ad ejus antiquitatem demonstrandam provocari ad Evaristum Papam, ad Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Nazianzenum, Ambrosium, Concilium Carthaginense IV. &c. quasi illis temporibus jam benedictio sacerdotalis ad solennitates conjugiorum fuerit requisita. *vid. Jacob. Gottofred. ad Cod. Theod. tit. de nuptiis leg. 3. f. m. 280. Hildebrand. de nupt. Vet. Christ. L. 1. seqq.* Sed ostendit eruditè Seldenus *Uxor. Hebr. lib. 2. cap. 28. p. 209. seqq.* autorem hujus persuasioais esse Baronium, non vero evinci posse ex locis Tertulliani & reliquorum Patrum contractui nuptiali aut ex more, aut necessariò ministrum sacrum interfuisse, aut quid aliud ad ipsas nuptias præstitisse; sed quemadmodum ad Pontifices veteris Romæ judicia quædam de in cæsta, jure matrimonii, testamentis & aliis aliquot capitibus attinuerint, in similia se postmodum in Christianismo ingessisse Pontifices, & Antistites Christianos, nec il libenter, ut succedaneos admissos fuisse: sed morem illum in ritibus nuptialibus sic tunc generatim receptum esse, nullibi satis constare, ipsum contractum conjugii solummodo à contrahentibus nec præeunte, nec interveniente antistite sacro factum fuisse, subinde



de tamen adfuisse eundem sacrorum gratiâ cum reliquis, quorum præsentia requisita fuerit, ne matrimonium videretur clandestinum. Et emtiones venditiones, adoptiones, manumissiones, donationes non raro etiam ad altare olim, adstante ministranteque sacerdote fieri solita, Benedictionesque solennes actibus civilibus seu legitimis non paucis fuisse proprias, unde tamen non omnino sequi, in ipsâ actûs substantiâ partes egisse aliquas ministrum ejusmodi, Evaristi epistolam ex quâ desumptus est *canon 1. c. 115. 30. qu. 5.* multis argumentis ostendi posse, fuisse supposititiam. Ex aliorum Paparum in primis seculis viventium constitutionibus id quidem perspectum esse, Benedictionem sacerdotalem fuisse satis usitatam, necessariam fuisse ad nuptias exinde non probari, donec tandem iste usus pedetentim ferè communis & universalis factus fuerit. Illud obiter observo, locum Tertulliani, qui potissimum pro antiquitate hierologiae demonstranda adducitur *ex libro ejus 2. ad uxorem* diversimodè citari ~~scire~~. Seldenus & Jacobus Gottofredus dd. II. ita recensent: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii; quod ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat Benedictio, Angeli renunciant, Pater rati habet.* Mentio hic expressè fit Benedictionis. At Benedictionem omittit Hildebrandus *d. l. L. 3.* ita Tertulliani verba adducens: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & oblatio confirmat, & obsignatum Angeli renunciant, Pater pro rato habet.* Tertullianus quidem jam non ad manus est. At si verba ejus sic se habent, prout Hildebrandus memorat, parum certe stringet illatio, quam Hildebrandus exinde vult facere. Ait enim: *sed quo aliâs modo Ecclesia matrimonium conciliat, nisi novos sponsos per sacerdotem in nomine SS. Trinitatis copulando? Itaque conciliatio matrimonii h. l. est Copula novorum conjugum, sacerdotis prece benedicta.* Necesse est Virum Eruditissimum oblitum fuisse eorum quæ ipse antea *C. 1. & C. 2.* aliter docuerat. Deprehendo, inquit, *in Veteri Ecclesia morem fuisse, ut futuri sponsi sacerdotem Ecclesie accederent, & antequam desponsarentur, in publica synaxi, ut puto, indicarent, se cum hac vel illa contracturos, adeoque cum consensu Ecclesie nuptias inituros, imo sacerdotes ipsos matrimonia lego, conciliasse.* Et Mox: *Non enim nuptie solummodo in Ecclesia celebrabantur, sed & ab Ecclesia conciliabantur, ut liquet ex*

D

Ter-





*Tertulliano l. 2. ad uxorem c. ult. id est componebantur, & cleri sive concilio dixeris, sive consilio dirigebantur.* Quicquid autem hujus sit, ex prisco usu ante ostenso, canonibusque adductis passim receptis, atque in Ministrorum sacrorum, ut fieri amat, rem, summo cum indultu explicatis, tandem per Christianum orbem inolevit, nuptias non solum a ministro sacro benedici solere, sed & ejusdem interuentu contrahi, aut contractum ante a sponsis initum denuo ipso praeunte celebrari. Non quod solennia hæc sacra in foro interno adeo necessaria matrimonio haberentur; ut citra hæc nullum aut irritum haberetur. Sed quoniam nisi solennia ejusmodi adhiberentur, aut matrimonia in foro externo permetterentur clandestina, difficile nimis frequenter esset, ea a stupris aut contuberniis illicitis in foro illo determinare. Seldenus *llx. Hebr. lib. 2. cap. 28. p. 216. quæ cap. seq. p. 218. seq.* ostendit, ante Leonem Imperatorem, seu annum Christi 900. aut circiter, nunquam in Oriente pro recepto undique jure obtinuisse, ut Benedictio sacra, nedum alius Ministri sacri interuentus nuptiis esset necessaria. Neque enim Justiniani Novellam 74. *cap. 4.* neque aliam legem ex Codice Theodosiano vel Justiniano quicquam disponere de Hierologia in nuptiis adhibenda, donec Leo Philolophus in *Novella constitutione 89.* sanciret: *ne matrimonia citra sacram benedictionem firma haberentur.* In occidentem vero ex Epistolæ illius Evaristo tributæ verbis in Capitula Caroli & Ludovici Cæsarum relatis, ibique vim legis obtinentibus videri Benedictionis sacræ usum inolevisse, & matrimonium ipsum tantum inde pro legitimo habitum esse, idque evenisse sub annum Christi 820. Porro quod divortiorum & repudiorum differentiam attinet, quod ex aliis causis sponsalia rescindantur, ex aliis matrimonium consummatum, ut & determinationem causarum, utrobique à primis temporibus Christianismi ita paucis serres habet. Postquam Salvator in disputatione cum Phariseis *Matth. 19. v. 3. seq.* pronuciaverat, *eum qui uxorem dimittat, excepta fornicationis causa, committere adulterium,* non minor de sensu verborum horum Christi inter Christianos priorum seculorum orta est disputatio, atque olim de verborum sensu in Lege Mosaica, quatenus hæc de divortio loquebatur, disceptatio erat, de qua dixit fufius Dn. Præses in *dissert. de crim. bigamia §. 38.* Fuerunt enim, qui putarent, ea quæ Redem-

tor



tor cum Pharisæis disputat, pertinere ad solos Judæos, Christianis  
verò non licere repudium dare ne quidem ex causa fornicationis.  
*vid. Dn. Puffend. lib. 6. de J. N. c. 1. §. 23. Dn. Henr. Lincke dissert. de di-  
vortiiis p. 30. ubi adducit locum Ambrosii huc inclinantem.* Alii disce-  
ptarunt, utrum ea, quæ Salvator de Uxore ob fornicationem dimit-  
tenda dicit, pertineant ad præceptum, an ad permissionem saltem,  
ut Hieronymus & Augustinus apud Havem. *in Gampl. Synopt. lib.  
3. tit. 6. n. 3. & 4.* Rursus alii dissenserunt, utrum maritus ob adul-  
terium uxorem dimittens aliam possit ducere nec ne, quæ de re et-  
iam non fuit consensus inter Hieronymum & Augustinum. *Selden.  
Uxor. Hebr. l. 3. c. 31. p. 446.* Maxima autem difficultas videtur de eo  
intercessisse, utrum Christus sub voce *πρωβίαις* non voluerit etiam  
alia delicta quam adulterium comprehendere? Perspicue & cum  
summâ diligentia controversias has exposuit Seldenus *dicto loco &  
cap. 23. lib. 3. ad finem*, unde potissima momenta excerptit *Dn. Lincke  
dictâ disput. sect. 3.* Nos tribus verbis eadem includemus. Quo-  
modo Christiani in prioribus tribus seculis doctrinam Christi de di-  
vortiiis explicuerint, non constat ob paucissima divortiorum exem-  
pla, quæ in historiis deprehenduntur, & ob silentia Canonum illius  
temporis, nisi quod in Synodo Arelatensi I. sub annum Christi 314.  
placuerit, *fidelibus, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, suaden-  
dum esse, ne viventibus his uxoribus alias accipiant.* Sub Constanti-  
no M. ut ex legibus ejus videri potest, divortia etiam ob alia deli-  
cta quam adulterium fuere admissa, & imo ab ejus successoribus  
passim divortiorum licentia magis aucta fuit, non contradicenti-  
bus Conciliis interea habitis usque Oecumenicis Niceno, Constan-  
tinopolitano primo, Ephesino & Chalcedonensi, quamvis Patribus  
nonnullis ista valde displicuerit. Quid Justinianus hæc parte sta-  
tuerit, ex *l. 10. C. de repud. Nov. 22. c. 3. & c.* notum est, post quem Ju-  
stinianus divortia mutuo consensu iterum in usum reduxit, ut ita post  
Justinianum in Oriente magna fuerit divortiorum licentia, neque  
aliquo modo Clerus illius temporis videatur quicquam aliud in  
Synodis statuisse. In occidente vero post Justiniani tempora in  
Ecclesia Romanâ universim inolevit doctrina velut certissima, at-  
que in mores ac canones postea relata fuit, ut nec adulterii causa  
vinculum matrimonii divortio solvi posset, nedum ob causas levio-



res. Sed Protestantes uti præter adulterium & malitiosam desertio-  
nem nullã divortii causam admittunt, ita per adulterium etiam con-  
jugium quoad vinculum solvi posse statuunt, ad quam sententiam  
eos præter alias rationes illud potissimum movit, quod Pontificii  
rationem decisionis suæ & hanc dare soleant, quod matrimonium  
consummatum sit sacramentum. *Inter fideles*, inquit Lancellottus,  
*lib. 2. Instit. Jur. Can. tit. 12. §. 9. matrimonium verum & ratum existit,*  
*quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur*  
*&c.* Unde etiam statuunt, si infidelis conjugem, qui fidelis est fa-  
ctus ad peccatum mortale cohabitatione sua protrahere intendat,  
posse conversum quasi priore matrimonio dissoluto licitè ad secun-  
da Vota convolare, quia inter infideles ex hypothesi Canonistarum  
non est sacramentum conjugii. *Magn. Dn. Ziegl. ad Lancelott. p. m. 435.*  
Et exinde etiam ratio depromi potest, cur Pontificii in sponsalibus  
admittant dissolutionem talem per repudia, at utraque persona vel  
certè alterutra possit novum matrimonium inire, quia videlicet in  
sponsalibus nondum accessit copula sacerdotalis, quæ ex mente  
quorundam Doctorum sacramentum matrimonii constituit. Etsi  
enim, ut jam supra indicavimus, non omnes Dd. Pontificii in illa  
thesi conveniant, tamen non diffitendum est, illorum doctrinam,  
qui ad essentiam conjugii, quatenus inter sacramenta referri debet,  
benedictionem sacerdotalem requirunt, principii Juris Pontificii  
esse convenientiorem. Jam vero optandum quidem esset, ut ex  
Historiã Juris Can. diserte constaret, quo tempore & qua occasione  
distinctio illa inter repudia & divortia, ipsorumque diversum effe-  
ctum primitus orta fuerit, quoniam in antecedentibus ostendimus,  
nec jure divino, nec moribus Hebræorum aut Romanorum diver-  
sas causas repudiorum quoad sponsalia de præsentibus, & divortiorum,  
quoad matrimonium consummatum fuisse cognitatas. Optandũ esset,  
ut de causis repudiorum, seu quibus sponsalia dissolvi arbitrantur  
(quarum potissimæ sunt fornicatio, absentia, membrorum amissio,  
incurabilis morbi interventus, *vid. Lancelott. l. 2. t. 10. §. 20.*) men-  
tem suam distinctè exponerent Canonistæ, & consentientes essent,  
quot præcisè causas agnoscant, & quænam ex istis ad sponsalia de  
præsentibus etiam, quæ verò ad sponsalia saltem de futuro referant, si-  
quidem incertitudinem doctrinæ Canonistarum hæc parte passim  
notat



notat Dn. Ziegl. ad *Instit. Lancelott. maxime verò ad d. l. 2. tit. 10.* Sed ista quidem optantur facilius, quam sperantur. Ad nostrum scopum quod attinet, in nostris Ecclesiis id constat, doctrinam Pontificiam, quod adulterium non dissolvat vinculum conjugii consummati, partim ideò rejici, quod matrimonium non habeamus pro sacramento; partim ideò, quod videatur omnino Christus in disputatione adversus Phariseos admittere divortium verum, etiam quoad vinculum, propter adulterium. In qua doctrina uti nihil est, quod moneamus, ita malleus, si eadem evidentia esset etiam in alterâ, dum in Consistoriis Protestantium communiter receptum esse solet: alias causas esse solvendi sponsalia de præsentibus, alias matrimonium benedictione sacerdotali consummatum. Hoc rescindi saltem per adulterium & malitiosam desertionem, quoniam Christus & Apostoli alias divortiorum causas non admittant. Illa vero dissolvi etiam ob alias rationes, v. g. ob inimicitias sponсорum capitales, ob homicidium à sponso dolosè commissum, ob epilepsiam, paralytin, aliumvé morbum contagiosum alterutrius partis supervenientem, ob vitium corporis, mutilationem & claudicantem membri post sponsalia supervenientem, ob furorem vehementem. *vid. Carpz. Jurispr. Consist. lib. II. Tit. 10. def. 176. seqq.* Ut enim jam taceam istas separatas causas repudiorum apud Pontificios esse conclusionem aliquam ex falsâ hypothesi provenientem, quod conjugium ante benedictionem sacerdotalem non sit sacramentum, post illam verò inter sacramenta connumerari debeat, quâ à nostratibus rectè rejectâ, videbatur etiam ista conclusio simul debuisse rejici. Saltem illud dubium urgeo: Jure divino, ut supra ostensum, etiam sponsalia de præsentibus jam sunt matrimonium justum, & apud Judæos, cum quibus tum salvator disputabat, nulla differentia erat inter repudia & divortia. Aut igitur verum est, doctrinam Evangelicam id velle, quod præter adulterium & malitiosam desertionem nulla sit admittenda alia divortii causa justa, tum etiam nulla erit admittenda causa repudii; aut si sponsalia de præsentibus rescindi possunt ob alias causas, & sic quidem, ut doctrina Evangelica per illas non turbetur, desiderarem justam & evidentem rationem, sequestratis autoritatibus humanis, cur non idem liceret in conjugio consummato. Non impugno veritatem doctrinæ





nostratis, sed statuo saltem, eam esse minus evidentem, cum frustra  
quæsi verim responsionem, per quam dubio isti satisfieri possit. Et  
esse nonnulla, propè dixerim multa, in nobilissima Jurisprudentiæ  
parte, quæ ad Jus circa sacra pertinet, quæ diligentioris excussio-  
nem mererentur, facile quivis cognoscet, qui Jus Ecclesiasticum,  
quo utimur, exactius confert cum Jure Pontificio. Ut unico sal-  
tem adhuc exemplo, quod quæstioni nostræ valde affine est, men-  
tem meam declarem, similis assertio parum cohærens est, dum sta-  
tuitur, in concursu sponsaliorum duorum publicorum priora præ-  
ferenda esse posterioribus, etiamsi posterioribus copula carnalis ac-  
cesserit, præferri tamen debere posteriora, si hæc benedictione sacra  
sint consummata. *vid. Carpz. l. 2. def. consist. 65. & 66.* Observavit  
etenim hujus doctrinæ inconvenientiam Dn. Zieglerus ad Lancell.  
p. 405. Cui reponi posset, ait, quod copula carnalis ad usum conjugii, &  
sic ad naturalia ejusdem pertineat, benedictio autem sacerdotalis ex-  
trinsecus ex constitutione Ecclesiasticâ advenit, & proinde non fortius  
videantur ligari sponsalia per benedictionem sacerdotalem, quam per co-  
pulam. Et si enim necessaria sit benedictio sacerdotalis, non alia tamen  
ejus est necessitas quam præcepti b. e. extrinsecæ, cum copula carnalis an-  
te omne præceptum Ecclesiæ ex ipsa institutione divinâ ad usum matrimo-  
nii pertinuerit. Non dubito tamen, quin in quibusdam Consilio-  
riis Protestantium verior, aut convenientior doctrina in multis usu  
recepta sit, quam tamen jure ignoramus, cum præter Carpzovium  
& Brunnemannum vix habeamus, quem in Jure Ecclesiastico testi-  
monii causâ producere possumus, donec, quod optamus, ab aliis  
Jctis nostratibus defectus iste suppleatur.

§. XIV.

*Usus distinctionis inter matrimonium contractum &  
consummatum, quoad quæstiones de nulli-  
tate conjugii.*

Igitur vel non adeo benè, vel certè ita, ut justæ dubitationi lo-  
cus sit, cohæret distinctio matrimonii contracti & consummati,  
quoad doctrinam de divortiis & repudiis. Quid vero dicemus  
de usu ejusdem distinctionis in quæstionibus de nullitate conjugio-  
rum & sponsaliorum, ut quod vitium sæpius per copulam & bene-  
dictionem sacerdotalem sanari defendunt nostrate? Si & hic si-  
milia



milia dubia occurrant; qualia §. *præced.* quoad divortia & repudia attulimus, fortè ex controversia; cujus gratia disputationem hanc conscripsimus, nunquam nos expediemus. Sed salva res est. Divortia conjugium dirimunt. Hic verò Lex divina seu Christiana norma reliquarum legum humanarum esse debet, ne homo separet, quos conjunxit Deus. At circa validitatem matrimonii in eundem nova quædam requisita poterit addere præcepto divino lex humana, eaque pro circumstantiarum diversitate variis modis limitare aut augere. Poterit adeo in istis requisitis à lege divinâ non determinatis, validitatem actus etiam à copula & benedictione sacerdotali suspendere, modo nec his casibus per leges humanas confirmetur matrimonium, quod leges divinæ jam nullum esse voluerunt. Ita per legem divinam licet magistratibus in negotiis quæ à voluntate humanâ substantiam capiunt, subditis suis normam præscribere, secundum quam consensus eorum pro justo haberi debeat, & quâ omisâ idem effectus consuetos non operetur. Unde pactum quod abstrahendo à legibus humanis actionem producere deberet, ex hypothesi legum Romanarum extra stipulationem actionem non producebat. Ita & in doctrinâ de nuptiis ex eodem fundamento distinctio inter sponsalia, quatenus ea respectu testium vel publica vocantur vel clandestina, orta est, quam jus naturale ignorat. Ergo & in arbitrio principis erit hâc parte majorem efficaciam tribuere publicis quàm clandestinis, imò etiam ut fieri solet, consummato matrimonio majorem effectum in hoc genere tribuere, quàm contracto. Jure itaque suo princeps utitur, dum v. g. disponit sponsalia clandestina & conditionata æquipollere publicis aut puris, si copula vel benedictio sacerdotalis sit secuta: Non verò ita potestate competente uteretur, si v. g. disponderet, matrimonii contractum cum Eunuchis nullum esse, subsistere tamen accedente copulâ vel benedictione, quia conjugium Eunuchi lege divina nullum est; aut si pronunciaret: bigamiam subsistere si jam consummata sit quoniam & hæc primæ & conjugii institutioni repugnat. Unde non possum non arguere summæ inconvenientiæ doctrinam illam, quæ statuit conjugium incestuosum contra prohibitiones divinas in initum subsistere, si per benedictionem & copulam fuerit consummatum, quamvis quidam magni nominis &

Jcti



JCti & Theologi eandem defendant. *vid. Carpz. Jurispr. Eccl. l. 2. tit. 5. def. 83. & part. 4. Jurispr. forens. Const. 23. def. 11. Beustium part. 2. de matrim. n. 52. p. 210. Dedekenn. Vol. 3. f. m. 265. Havem in. Gamol. Synopt. lib. 2. tit. 5. p. 281. seqq. & Tit. 7. p. 329. seqq.* ubi solidè hanc sententiam refutat. Igitur dum à nostratibus quoad consensum parentum communiter asseritur, sponsalia sine parentum consensu contracta esse nulla, subsistere tamen, si copula vel benedictio sacra accesserit, ante omnia disquirendum erit, utrum matrimonium invitis parentibus initum jure divino pro nullo haberi debeat, nec ne. Nam si jure divino universali nullum foret ejusmodi matrimonium, frustrà auxilium quæreremus in legibus humanis per copulam aut hierologiam illud confirmantibus. Recte enim Cyprianus Epist. 8. *Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.* At si leges divinæ conjugium invitis parentibus contractum pro conjugio habent, sanè tum dispiciendum erit, utrum hâc parte humanæ leges distinctionem faciant inter matrimonium contractum & consummatum.

§. XV.

*Circa questionem an parentum consensus, si fuerit omissus, nullitatem pariat, cautela.*

Etenim in doctrinâ de consensu parentum in nuptiis liberorum adhibendo maximè cavere debemus, ne confundamus inter se quæstiones affines. Initio siquidem aliud est disquirere, utrum peccent liberi, si parentum consensum non adhibeant; aliud an hic neglectus pariat nullitatem conjugii. Multa sunt in negotiis civilibus pariter & ecclesiasticis, quæ si neglecta fuerint personarum contrahentium conscientiam tangunt, vel illas pœnis subjiciunt, actum tamen propterea non faciunt irritum. Venditor injustè rem venditam alteri rursus vendit, si tamen venditori posteriori eandem tradiderit, subsistit venditio, & emtor saltem actione personali venditorem convenire poterit. Qui rem oppignoratam alii oppignorat, stellionatam committit, subsistit tamen utraque oppignoratio. Qui filium suum apud Clericum diversæ religionis (ex iis quæ in Imperio tolerantur) baptizari curat, pœnæ reus est, baptismus tamen propterea non debet reiterari. Qui cum sponsa ante bene-



benedictionem sacerdotalem concumbit, punitur ab Ecclesia, matrimonium tamen ipsum non est nullum &c. Deinde non confundenda sunt jura diversa, divinum cum humano, naturale cum positivo, Civile cum Canonico. Nam si humano saltem jure aliquando sine parentum consensu non valuit conjugium, ante omnia videndum est, an & illud jus humanum nos hodiè obliget, at si divino idem fuerit dispositum, opus erit disquirere, an illud jus divinum fuerit universale, an solum populo Judaico latum. Quinimò & dispectio de jure Civili aut Canonico ideò omitti non debet, quia in imperio quoad matrimonialia magis sequimur Jus Can. quam Civile, etiam apud Protestantes, nisi quatenus per Reformationem aut per statuta particulariã eidem fuerit derogatum. Denique non confundenda erit quæstio de nullitate sponsaliorum non adhibito parentum consensu, cum quæstione de nullitate matrimonii per copulam aut hierologiam consummati. Nihil enim novi, in jure negotium aliquod contractum pro nullo haberi, consummatum verò subsistere. Venditio secundo emtori facta intuitu prioris nulla est, at traditione accedente confirmatur. Ita & sponsalia contra voluntatem parentum celebrata etsi nulla sint, non tamen propterea necesse est etiam nullum esse matrimonium, cui hierologia accessit. Quamvis autem otiosum alicui videri posset, ista tam prolixè præmonere, cum confusiones istæ sua spontè quasi, ut satis crassæ, oculos cujusque ferire videantur, tamen non frustraneam fuisse operam nostram, is facile pensabit, qui in perlustratione auctorum deprehendet, sæpe à viris etiam eruditis istos scopulos, quamvis prominentes non fuisse evitatos. Unum instar omnium nominare jam liceat Michaellem Hayemannum, qui in *Gamolog. Synopt. lib. 1. tit. 3. post. 2. p. 30. seqq.* in omnes tres, quod vix credibile, simul impegit.

§. XVI.

*Parentum consensus quatenus Jure Naturali in nuptiis liberorum requiratur.*

Incipiemus autem à legibus divinis, & quidem à lege naturæ. Hoc jure potissimum quæri debet, an & quatenus liberi absque vel etiam spreto parentum consensu matrimonium inire possint, quatenus consideratur societas paterna seorsim & abstrahendo

E

à so.



à societate civili, in qua patria potestas legibus civilibus ita subje-  
cta est, ut eadem pro diversitate circumstantiarum modo augeri,  
modo restringi possit, unde, si postea deprehendamus legibus civi-  
libus fortè aliud introductum esse, non arbitrari debemus, quasi  
id statim legi naturali repugnet, cum jus civile omnem facultatem  
subditorum etiam à natura competentem ex utilitate Reip. limitare  
ve' ampliare queat. Jam quod liberos concernit, qui in potesta-  
te parentum, qua hæc juris naturalis est, vivunt, ii cujuscunque se-  
xus sint, debent consensum parentum adhibere vi obsequii, per  
quod libertas ipsorum ita circumscribitur, ut quamdiu in hac so-  
cietate sunt, actiones suas, externas potissimum, qualis est etiam  
conjugium, secundum beneplacitum parentum suorum instituant.  
Quod si verò de facto societatem conjugalem citra parentum vo-  
luntatem inierint, non quidem ipso jure nullæ erunt nuptiæ ejus-  
modi, sed tamen pro lubitu parentum annullari eas posse arbitror.  
Nam concubitus essentiam conjugio ejusmodi dare nequit; con-  
sensus autem liberorum uti omnium, qui ab alienâ potestate de-  
pendent, non absolutus esse potest, sed conditionatus, si superiori  
placuerit. Neque vitio verti poterit parentibus, si nuptias citra  
eorum voluntatem contractas rescindant, quia conjugium libero-  
rum est actus maximi momenti in familia, multis modis simul in-  
teresse ipsorum parentum respiciens. Nam alias vel invitis ipsis  
accresceret onus alendi personam adductam, vel auferretur certe  
invitis jus patrum, quorum neutrum societati paternæ est con-  
veniens. Neque distingvimus adeò inter matrimonium contra-  
ctum & consummatum, seu inter sponsalia & matrimonium strictè  
dictum. Uti enim istam distinctionem jus naturæ ignorat, ita  
quoad utrumque casum dicta de annullatione valebunt. Quod si  
verò societas paterna jam sit finita, & liberi à parentibus ex potesta-  
te dimissi, quoniam tùm obsequium propriè dictum in liberis ces-  
sat, & loco ejus solum reverentiæ debitum subest, equidem graviter  
liberi reverentiam lædent, si insciis parentibus pacta conjugalia  
ineant, non tamen propterea ejusmodi matrimonium pro nullo ha-  
beri, aut à parentibus irritum fieri potest. Quid? quod si paren-  
tes hoc casu à liberis rogati consensum suum absque justâ causa de-  
negent, nec reverentiæ debitum violabitur, si liberi matrimonium  
istud



istud consumment, non tamen in contemptum parentum, sed quod distinctè cognoscant, parentum dissensum nullis rationibus, vel etiam absurdis esse subnixum. In dubio tamen melius facient, si ab adimpletione ejusmodi matrimonii abstineant. Sub eadem limitatione intelligendus est casus ultimus, si liberi in potestate existentes jam satis educati & adulti sunt, ac dum matrimonium inire volunt, simul parati sunt exire ex familiâ paternâ, parentes verò ob duritiem & morositatem evidentem nec eos dimittere, nec in matrimonium consentire velint. Nam & tunc quidem liberi salvâ in reliquis pietate & reverentiâ sibi prospicere poterunt, melius tamen est, si vel minimum dubium ipsis de justo parentum dissensu resideat, ut à matrimonio abstineant, & parentum voluntati se accommodent. *vid. Dn. Præs. Instit. Jurispr. divin. lib. 3. c. 4. per integrum & potissimum §. 76. seqq. Adde Hahn. ad Wesenb. de R. N. num. 2. fol. m. 97.*

§. XVII.

*Quid scriptura sacra de consensu parentum inculcet.*

Jam ulterius perlustrandum erit, an Deus Optimus Max. in lege positivâ seu universali seu particulari quoad consensum parentum in liberorum conjugii adhibendum, diversum quid ab iis quæ §. *preced.* disseruimus, constituerit. Ubi quidem, quantum nobis constat, disertè de hac materiâ & per modum præcepti specialis nihil in scripturâ sacrâ disponitur, quare restat, ut de argumentis dispiciamus, quæ ex nonnullis scripturæ sacræ locis in hunc usum afferri solent. Ipsa conjugii institutio divina omninò vim legis universalis habet, quod non diffitemur, sed cum limitatione, quam fusius explicat Dn. Præs. in *dissertat. de crimine bigamie*. At exinde tamen argumentum ad hanc quæstionem petere nolumus, quamvis videam, id facere Havemannum *d. l. tit. 3. post. 2. p. m. 30. Conjugium, ait, primum Adami, jure marito norma est, ad cujus ductum conjugia sunt instituenda. In illo autem Adam non suo solius arbitrio quesivit sponsam, nec Eva sponsum: Dei O. M. sanctissima voluntas intercedebat, qui patris loco Evam tanquam filiam Luc. cap. 3. vers. 38. elocabat.* Ratio nimis remotè petita, & per tropum. Nam haud dubiè dum *Luc. 3.* Adam dicitur Dei filius, vox filii tropicè sup-





ponitur. Ergo ratio hæc illustrans saltem est, non probans & quidem hanc thesin saltem illustrat: Honestè adhiberi ad nuptias liberorum consensum parentum, non verò necessario adhiberi, aut, si non fuerit adhibitus, nuptias propterea nullas esse: Porro præceptum quartum decalogi id omnino inculcat & repetit, quod diximus, liberos vel ex debito obsequii vel reverentiæ adhibere debere consensum parentum, de annullatione tamen conjugii, si contra factum sit, nihil disponit. *Exod. c. 22. v. 16. & 17.* agitur de eo, qui filiam alienam stupraverit, simulque disponitur, ut si pater renuat eam dare stupratori, hic pecuniam loco dotis ei pendere debeat. *Exinde*, pergit Havemannus, colligitur argumentum firmissimum stans instar murorum Semiramidis. Si penes patrem stetit stuprata filia matrimonium ratum habere vel irritum facere, multò magis hanc potestatem habebit in sponsalibus filia, quando res adhuc est integra. Mihi aliter videtur. Ut enim taceam textum saltem loqui de filiâ, & fortè non adeò benè ad utrumque sexum, de quo tamen concepta est quæstio, extendi posse, nego: à stupro ad sponsalia valere consequentiam, quia in stupro nullus est consensus conjugalis, sed vaga libido. Similia regerenda habeo ad alterum argumentum, quod ex *Num. c. 30. vers. 4. & 5.* format Havemannus. Si pater votum filia ipsi Deo factum, id quod majus est, potest infringere, quidni infringeret promissionem matrimonialem filia, id quod minus est. Nolo hic iterum afferre, quod lex divina loquatur saltem de filia, nequaquam vero de filio, nec de filia omni, sed de virgine saltem. Nego argumentum secundum regulas Logicorum rite esse formatum, quia id *majus & minus* Havemanni non manet in eodem genere. A Voto ad promissionem homini factam non valet consequentia, sed hic potius sæpe Canon procedit, a diversis ad diversa male inferri. Impingeret, si quis, ita argumentaretur: *Non valet promissio homini facta citra specialem ejus, cui promittitur, acceptionem, id quod minus est, ergo nec valebit votum, id quod majus est.* Pergit Havemannus: *In N. Testam. militat locus 1. Cor. 7. v. 36.* Ubi innuit Paulus, filiam jungendi vel non jungendi matrimonio in patris arbitrio situm esse. Vereor, ut & hic rem acu tetigerit. Nam textus non agit de arbitrio parentum in conjugio liberorum, sed de eo saltem, quod pater non peccet, sive filiam suam despondeat, sive in coelibatu confirmet. Denique provocat Havemannus *d. p. 31.*  
ad ex-



ad exempla Hagaris accipientis filio Ismaeli uxorem, Abrahami Eleazarum ablegantis, Bethuelis filiam Rebeccam despondentis, Isaaci Jacobum mittentis in Mesopotamiam Labanis despondentis filias, Sichem item & Dinæ atque Calebi &c. Exempla autem illa nihil aliud faciunt, quam quod ostendant, usitatum fuisse, ut parentum consensus in nuptiis liberorum adhiberetur, vel etiam esset præcipuus, necessarium verò fuisse non ostendunt. Et quamvis Havemannus subjiciat p. 32. *Ex hisce exemplis in Scriptura sacrâ annotatis nascitur nobis novum argumentum, quod tale est: Illud conjugium ratum est, quod juxta divinam sanctionem exemplis sanctorum illustratum contrahitur. Atqui matrimonium sine parentum consensu contractum non contrahitur juxta divinam sanctionem exemplis sanctorum illustratum. Ergo tale conjugium nec ratum est, nec legitimum censeari potest.* Nollem viro docto penè tot errores excidisse, quot verba protulit. Initio argumentum in forma est vitiosum, cum minor propositio in primâ figurâ non debeat esse negativa. Deinde in quæstione est, an exempla sanctorum semper illustrent sanctionem divinam cum sancti sæpius etiam peccare soleant. Tertio præsupponitur sanctio divina jam aliunde esse probata, quia illustrationis saltem mentio fit intuitu exemplorum, non probationis. At nihil de sanctione divinâ in præcedentibus probaverat Havemannus. Quartò dubito, an velit Havemannus etiam Hagarum, & patrem Sichemi, aut Labanem inter sanctos referre. Quintò si ex exemplis his judicari deberet, posset fortè quis inferre, patris consensum ad nuptias filii non requiri, sed matris saltem, quia legitur Hagar saltem Ismaeli de uxore prospexisse, non vero Abraham. &c.

§. XIX.

*Dispositio legum Romanarum de consensu parentum.*

Pergo ad leges Justinianæas. Quoad has notissimi juris est, ad nuptias liberorum in potestate positorum requiri patris consensum, in tantum, ut citra eum nuptiæ sive contractæ sive consummatæ nullæ sint, *pr. §. 11. f. d. nupt. l. 2. 18. 35. de R. N.* in iis, qui extra potestatem erant, consensus parentum saltem de honestate, nec semper quidem fuit adhibitus. *arg. l. 18. §. 20. C. de nupt.* In pri-



ori tamen propositione vitanda erant duo extrema, quorum unum committit communis sententia Ddrum statuens, nec per subsequen- tem rati habitionem patris sanari nullitatem præcedentem ejus- modi contubernii, *arg. pr. l. de nupt.* quod commentum egregie refutavit Huberus *in posit. & prælect. ad tit. Inst. & ff. de nupt.* Alterum tentat, annon certo modo pro subsistentibus habenda sint nuptiæ citra patris consensum contractæ. Fecit id Hottomann *de ritu nupt. cap. 3. p. m. 400. seqq.* tum autoritate Ulpiani, tum Pauli deceptus. Ulpiani verba sunt hæc: *l. i. §. ult. de libb. exhib. si quis filiam suam quæ mihi nupta sit, velit abducere, vel exhiberi sibi desideret, an adversus interdictum exceptio danda sit, si forte pater concordans matrimonium & liberis subnixum velit dissolvere? Et certo jure uti- mur, ne bene concordantia matrimonia jure patriæ potestatis turbentur, quod tamen sic erit adhibendum, ut patri persuadeatur, ne acerbè pa- triam potestatem exercent.* Ex hoc textu infert Hotomannus, patrem potuisse filiam, quæ sine ejus consensu nupserat, abducere à marito; at hoc secutis principum Constitutionibus in diversam fori consue- tudinem fuisse inflexum. Quod nunquam Ulpiano in mentem ve- nit. Etenim eruditè ostendit iterum Huberus *parte II. Digress. lib. 1. cap. 15. p. 53.* sensum potius istum esse, parentes vi patriæ potestatis potuisse etiam nuptias veras ipsorum consensu initas iterum dissol- vere etiam in vitis liberis. Sed id olim saltem obtinuisse, ac rigorem istum jam à Marco Antonino *l. 5. C. de Repud.* & à Severo item ac Antonino fuisse sublatum. Gravius videtur obstare locus alius Pauli *lib. 2. sentent. tit. 19. Eorum, qui in potestate patris sunt, sine vo- luntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non sol- vuntur, quia contemplatio publicæ utilitatis privatorum commodis præ- fertur.* Quid enim? annon rectè Hotomannus ex his Pauli verbis intulit, quod Paulus statuerit: Filiorum familias matrimonia sine voluntate parentum contracta injusta quidem esse, sed tamen vi patriæ potestatis non dissolvi. Certe non habet Sandius *lib. 2. tit. 1. def. 4. p. 58.* quod ad hunc locum regerat nisi librum sententiarum Pauli non habere vim legis. Sed uti Huberus *d. l. cap. 16. p. 521. seqq.* rectè Sandium hac parte notat; ita dilucide simul docet, non alium esse sensum verborum Pauli, quam qui sit in lege Ulpiani modo memoratâ.



*Sententia Juris Canonici de consensu parentum in**nuptiis.*

Jus Canonicum quod attinet, videbatur quidem prima fronte dicendum esse, parentum consensum hoc jure planè non requiri ad nuptias, si quis crudè velit respicere *can. sufficiat. C. 27. qv. 2. Sufficiat secundum leges*, ait Nicolaus Papa, *solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si nuptiis solus forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Sed facile apparet, particulam exclusivam hic non respicere consensum parentum, sed opponi conjunctioni carnis ac idem innuere, quod solus consensus contrahentium absque concubitu ad essentiam matrimonii sufficiat. Planè consensum parentum ad nuptias requiri ex variis textibus constat. Vid. *can. aliter. & can. nostrates. C. 30. qv. 3. can. non omnis. can. honorantur. & can. hoc sanctum. C. 32. qv. 2. in tantum*, ut citra parentum consensum nuptiæ non sint legitime *d. can. aliter. & d. can. hoc sanctum.* Quod ita expono, non solum ut parentum consensus requiratur de honestate, sed & de necessitate; verum quantum saltem ad conjugium contractum attinet, nam de conjugio consummato etiam per copulam carnis saltem, adeoque multò magis per benedictionem sacerdotalem evidens est *capitulum cum causa 6. de raptoribus*, ubi proponitur miles rapuisse aliquam à parentibus, etiam, ut dicebatur, invitam, postea tamen, antequam cum ipsa concumberet, eandem desponsaverat sibi. Rescripsit Lucius III. Papa: *Raptorem hunc dici non debere, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent.* Quin imò disertè appellat postea hunc actum *matrimonium consummatum*, & ingressum uxoris in monasterium invito marito factum improbat. Solet equidem à dissentientibus objici huic sententiæ nostræ dictus canon *aliter. C. 35. qv. 5.* tanquam apertè obstans, cum in eo disertè Gratianus ex epistolâ Evaristi memoret: *Aliud legitimum non esse conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter etc. & solenniter accipiatur.* Addit: *Si aliter factum fuerit, non conjugia,*  
*sed*



*sed adulteria vel contubernia vel supra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse.* Quid clarius, inquit dissentientes, quam quod matrimonium etiam consummatum citra voluntatem parentum etiam sit nullum & pro adulterio habendum. Unde & magni viri huic canoni magnum robur adversus capit. Lucii inesse arbitrantur. *Vid. Dn. Ziegl. d. l. p. 416.* sed dupliciter quidem ad istud responderi posse constat. Initio jam supra ex Seldeno diximus, canonem hunc probabiliter ab Evaristo Papa non esse conditum, sed ad paleas pertinere & supposititia scripta. Accedit, quod in eo misceantur inter se conjugium legitimum & ratum, quæ aliàs ut supra ex jure Canonico jam prænotavimus, solent distingvi. Illegitimum conjugium utique est sine parentum consensu, propterea tamen non irritum. Sed comparatur adulterio! Vel locutio catachrestica hæc est, vel dicendum, hanc comparisonem non ad omnia, quæ præcesserant, pertinere, sed ad benedictionem sacerdotalem, quæ immediatè præcesserat. Certè ad omissionem dotationis non nisi impertinentissime trahi poterit, quæ tamen & ipsa æquè ut consensus parentum præcesserat. Deinde sit cum hoc canone, ut sit, Decretum Gratiani utpote privata autoritate collectum non habet vim legum, ut latius declaravit Dn. Zieglerus *in dissert. de origine & increm. juris Canonici §. 42. & 47.* Unde jam parum curamus querelas atque responsiones ad dict. capit. Lucii: sunt qui putant, non sufficiens esse istud capitulum, ut inde conficiatur generale axioma de Validitate conjugii consummati in vitis parentibus, quia agat saltem de casu singulari, quod puella volens abducta & vitata à marito recedere non debeat. *Dn. Ziegl. ad Lancell. d. l. p. 416.* Sed superius dicta jam ostendunt, singularitatem hanc citrà rationem sufficientem prætendi, cum omnino validissima sit argumentatio à minori ad majus: si enim matrimonium clandestinum cum abductione, quæ raptûs speciem habebat, conjunctum subsistit, multo magis subsistit matrimonium ejusmodi saltem insciis parentibus & citrà abductionem factum. Sandius *d. l. 2. tit. 1. def. 4. p. m. 53.* sequentia adversus capitulum illud profert. *Quod attinet ad decretum Lucii Pontificis in cap. cum causâ. X. de raptoribus, Zanchius illud graviter restringit & impietatis arguit. Oldendorpius etiam impium esse dicit. Duareno quoque non satis justum nec æquum videtur, quamvis aliquam*  
huma-



humanitatem præ se ferat. At Albericus Gentilis d. l. lib. 4. cap. 4. illud exponendum esse putat juxta suum titulum, ut non de matrimonii firmitate & justitiâ, sed de raptu tantum definiat, ac in istâ specie raptum non esse commissum, censuerit Pontifex, cum de nuptiis ante sit actum & raptus non sit sine dolo, à quo quævis injusta & fatua causa excusat. Hæc quamvis de raptu ab Alberico probabiliter dicantur, excusari tamen non potest, quod Papa vult mulierem, quæ parentibus reclamantibus abducta fuit à milite, ab eo recedere non posse, abutens ad id Apostoli autoritate. Magis igitur prioribus adsentior. Verum cui libet facile patet, congestisse hoc modo Sandium multorum dissensiones & contradictiones, rationes dissentendi justas non fuisse allatas. Fuit equidem in Concilio Tridentino controversia hæc de Validitate conjugiorum clandestinorum à liberis invitis parentibus initorum valde agitata, & variis modis hæc parte inter Patres Concilii dissensum fuit, ut luculenter exposuit Petr. Svavis in historia Concilii Trident. lib. 7. p. m. 660. seq. & lib. 8. p. m. 673. seq. Nec diffitendum est decretum Concilii quoad hoc punctum esse satis obscurum, quod extat in Sessione 24. tit. de reformatione conjugii cap. 1. p. m. 196. seq. Tametsi, ait, dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnet, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse, nihilominus sancta Dei ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Dedit hæc obscuritas Havemanno occasionem ut in Gamol. p. 36. sic adversus Concilium Tridentinum disputaret. Et quod notatu dignum est, ipsum Concilium Tridentinum, dum nostram sententiam orthodoxam (ignoscendus est hîc loquendi excessus Havemanno eò, quod Concilium Tridentinum suam sententiam saltem pro orthodoxâ venditaverit. Nam propriè loquendo neutra sententia est vel orthodoxa vel heterodoxa in sensu Theologico, cum tota hæc quæstio non pertineat ad Articulus fidei) anathematis fulmine ferit, sibi insigniter contradicit: Negat Synodus, Matrimonia sine parentum consensu contracta irrita fieri pos-

F

se:



se: Et addit paulo post: sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis, semper illa detestata est atque prohibuit. Nunc ex decreto concilii Tridentini sic colligo: Conjugium detestandum non est ratum. Atqui conjugium sine parentum consensu contractum est detestandum fatente Synodo Tridentina. Ergo minime est ratum. Vagatur tamen & hic extra oleas Havemannus. Nam sensus obscurioris illius decreti videtur esse, quod semper consensus parentum de honestate fuerit ab Ecclesia in matrimoniis requisitus, adeoque si contra factum fuerit, matrimonium fuerit improbatum, sed tamen propterea idem non pro nullo fuit habitum. Quare propositio illa Havemanni: Conjugium detestandum non est ratum. Jure Can. vacillat, & sic saltem formata procedit: Conjugium detestandum non est legitimum. At inter legitimum & ratum conjugium differentiam esse, diserte asserit Lancell. in Inst. lib. II. tit. 12. §. II. p. m. 441.

§. XX.

*In Imperio Germanico conjugia invitis parentibus consummata in dubio subsistunt.*

Cum igitur, ut hucusque exposita ostendunt, inter Jus Rom. & Can. quoad quæstionem de Validitate Conjugii invitis parentibus contracti vel consummati sit insignis differentia, constare jam debet, quodnam jus in pronuntiando de conjugio privatorum sequi debeant iudices in territoriis principum Protestantium Imperii Germanici. Consentiunt Ddres, in causis matrimonialibus, ubi dissentiat Jus Civile & Canonicum, observari solere in Imperio posterius, etiam in terris principum Protestantium. Carpz. Jurispr. Eccl. lib. 2. def. 14. num. II. Alber. Gent. de nupt. lib. 1. cap. 17. §. 18. Dn. Ziegl. dissert. de orig. & increm. Jur. Can. §. 67. pag. 53. Brunnem. Jur. Eccl. l. 1. c. 3. §. 4. p. 34. ibique Dn. Strycke p. 39. Quapropter etiam solet in territoriis principum Protestantium conjugium adulteri cum eâ admitti, quam constante matrimonio per adulterium polluit Carpz. d. def. 14. Igitur & quoad validitatem conjugii invitis parentibus contracti, & per benedictionem sacerdotalem consummati idem erit dicendum. Quod si urgere velis addendam esse assertioni illi communi Dd, istam limitationem, nisi ju-



si juris Canonici dispositio repugnet juri divino. *Carpz. & Dn. Ziegl. dd. ll.* Sed talem repugnantiam in presenti quaestione occurrere, quapropter Juris Canonici hac parte non majorem esse debere auctoritatem, quam Thalmudis &c. *vid. Havemann. d.l. p. 37.* nil aliud responderem, quam quod talis repugnantia hoc loco non posset ostendi, & contrarium jam superius luculenter fuisse ostensum. Refert Petr. Svavis in *hist. Concilii Trident. d. l. 7. pag. 601.* Super controversia hac in ista Synodo inter alia hac attulisse Salmeronem. *Maximam esse auctoritatem Ecclesia in re sacramentorum, posse eam mutare id omne, quod ad essentiam non pertinet. Cumque conditio publici & clandestini accidentalis sit, Ecclesiam habere in ea potestatem.* Meliore jure nobis verbis in meliorem sententiam paululum inflexis sic pronuciare licebit: *Magnam esse auctoritatem principum in re conjugali, posse eos disponere de eo omni, quod ad essentiam conjugii non pertinet: Cumque conditio publici & clandestini, etiam ob intermissam parentum consensum accidentalis sit, in ea habere potestatem.* Propius ad rem faciunt, quae in eadem controversia disseruerunt Campegius & Solisius. Dixerat Campegius: *Non esse dicendum: Ecclesiam posse rescindere matrimonium clandestinum, veruntamen: Ecclesiam posse jubere irritum esse contractum nuptialem clandestinum.* Placuit hac doctrina patribus plerisque, ut quae plana facilisque videbatur, & omnibus difficultatibus solvendis. Addidit vero Solisius: *Contractus nullos facere ad Leges & magistratus seculares pertinet: quare cavendum diligenter, ne dum Ecclesia auctoritatem matrimonia clandestina rescindendi concedere volunt, ea potius potestati seculari permittant, vid. Svav. d.l. p. 605.* Omnino potestas hac ad Principes pertinet, qui hac parte dispositionem Juris Canonici vi superioritatis territorialis tolerant, & quemadmodum potestate hac utuntur, cum contractus matrimoniales invitis parentibus celebratos irritos esse statuunt, ita & vi ejusdem potestatis sustinent hos contractus benedictione sacerdotali corroboratos. *vid. Carpz. d. lib. 2. def. 40. & def. 60. n. 2. Dedekenn. vol. 3. consel. Theol. l. 4. Sect. 1. n. 19. fol. 398.*



*An validum sit matrimonium à sacerdote vel Parocho  
deposito consummatum.*

Restat ut videamus, an subsistat matrimonium, cui benedixit sacerdos ab officio remotus vel depositus! Videbatur dicendum, quod subsistere haud debeat, quia eo ipso dum quis ab officio deponitur, arcetur ab administratione eorum quæ sunt ordinis, nempe prædicatione verbi, & administratione sacramentorum, sub quibus Jus Canonicum comprehendere etiam solet ipsum matrimonium, quod etsi Ecclesiæ nostræ negent, ipsam tamen benedictionem sacerdotalem ad ea, quæ sunt ordinis, referunt. Hoc tamen non obstante dicemus, subsistere omninò debere matrimonium ejusmodi. Nam etsi interdicatorum ipsi administratio rerum ordinis, tamen depositio, sola si non sit cum actuali degradatione conjuncta, exercitium saltem juris in Ordinatione collati prohibet, ita ut poenæ reus sit, si contra faciat, efficaciam actus contra prohibitionem celebrati non tollit. Quare uti apud Protestantes non est dubium, quin baptismus ab ejusmodi Parocho deposito collatus & cœnæ administratio ab ipso facta atque absolutio à peccatis valida esse censeantur, ita multo magis matrimonium pro valido erit habendum, cui interfuit ejusmodi sacerdos depositus. Videtur equidem graviter obstare decretum Concilii Tridentini antea memoratum, dum p. m. 197. præcipit, ut *imposterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium parochio tribus continuis diebus festivis in Ecclesiâ publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonii in faciem Ecclesiæ procedatur, ubi parochus viro & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, vel aldis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provincie ritum &c. Qui aliter quàm presente parochio vel alio sacordote de ipsius parochi seu ordinarii licentiâ & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò in-*

nò in-



nò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos presenti decreto irritos facit & annullat. Nam ex his Concilii Tridentini verbis ita adversus sententiam nostram inferre posset, nullum esse matrimonium, cui interfuit Parochus depositus, quia (1.) in tali casu haud dubiè non præcesserunt tres denuntiationes (2.) quia à parocho extraneo benedictio facta matrimonium reddit invalidum, multò magis ergò si hic extraneus sit simul ab officio depositus. (3.) quia qui depositus est, non potest dici parochus proprius, at ubi proprius parochus non interest, ibi matrimonium dicitur esse nullum. Sed responsio tamen ad istas objectiones primâ fronte graves non est difficilis. Nam quod (1.) denuntiationes atinet, illæ quidem pertinent ad officium parochi, ut is peccet, si eas propria auctoritate intermittat, non tamen sunt de substantia matrimonii, ne quidem ex hypothesi Concilii Tridentini, quoniam clausula irritans ut ex adductis verbis apparet, non denuntiationum solennitatem respicit, sed parochi & testium præsentiam. Augustinus Barbosa *de officio & potestate Episcopi part. 2. alleg. 32. num. 1. f. m. 369.* Quod (2.) objectionem concernit, ex sententia Juris Pontificii quidem dicendum est, si parochus extraneus interfuerit matrimonio, id pro nullo esse habendum, sic enim colligit idem Barbosa *de offic. & potest. Parochi part. 2. cap. 21. num. 37. f. m. 178.* matrimonium contractum coram parocho illius loci ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium constituendi, sed recreationis causa, non valere. Sed ad ista sciendum: esse quidem in terris principum protestantium usu receptum Jus Canonicum, id est Decretales Epistolas quæ communiter in Volumine Corporis Juris Can. comprehenduntur, non vero Concilium Tridentinum, ex quo istæ objectiones petitæ sunt. Etenim nihil frequentius in terris protestantium, quam ut benedictio sacerdotalis fiat à quocunque Parocho, extraneo etiam. Quo præsupposito, ut & quoad (3.) nonnulla regeram, potius pro nostrâ sententiâ argumentum petere licebit ex doctrinâ Canonistarum. Statuunt hi, ex sententia Concilii Tridentini proprium parochum ad essentiam matrimonii requirentis admitti etiam parochum



rochum excommunicatum, suspensum, vel irregularem, modo non sit actualiter depositus (i. e. planè degradatus) immo validè matrimonio assistere possit Parochum interdictum seu prohibitum ab Episcopo, ne aliquos matrimonio jungat, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta teneant, *vid. Barbof. de off. Episcopi d. alleg. 32. n. 90. & 93. f. m. 380. seq.* ac denique possit Parochum degradatum (*non actualiter scil. sed verbaliter saltem, seu stylo nostro depositum*) alteri sacerdoti licentiam assistendi licitè committere. *Id. Barbof de off. parochi d. cap. 21. num. 64. f. 182.* Si itaque ex hypothesi Juris Pontificii depositus Parochus adhuc pro parochus proprio habetur, non nocebit etiam jure nostro depositio parochus extraneo, quo minus eadem efficaciam ut parochus extraneus non depositus benedictione suâ matrimonium reddat validum.

T A N T U M.





extensus non deponitur benedictione sua matrimo-  
 nio parochiano extraneo, quo minus eadem efficacis ut parochus  
 parochus proprio habeat, non nocentem iure nostro de pos-  
 itaque ex hypothese iuris Pontificii deponitur parochus ad hoc pro-  
 committere. Id Barbo de off. parochi d. cap. 21. num. 44. f. 182. Si  
 hyle nostro deponitur (alteri sacerdoti licentiam alibi di licet  
 chum de gradibus (non ab alio sed verbaliter saltem, seu  
 cap. d. alleg. 22. n. 23. f. 380. sed. ac denique posse paro-  
 ter prohibentur, que tamen facta tenent, vid. Barbo de off. epi-  
 cum ab Episcopo, ne aliquos matrimonio coniungat, cuius multa  
 matrimonio assistere posse parochum interdictum seu prohibi-  
 non sit agnoscitur deponitur (i.e. plane de gradibus) immo valide  
 rochum excommunicatum, interdictum, vel irregularem, non.

T A N T U M


















Leipzig, Diss., 1688 (T-z)

ULB Halle  
005 300 835


3




VDA7











E. 23. num. 18.

Q. D. B. V.

1689, 23<sup>a</sup>

39.  
5

De

# VALIDITATE CONJUGII,

quod a parentibus contracti & per  
benedictionem sacerdotis depositi  
consummati,

*Consensu Superiorum*

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI THOMASII,

J.Cti,

*Præceptoris sui summè devenerandi,  
Solenniter disputabit*

Christian Gottfried Sulzberger/  
Lipsiensis.

*ad diem 5. Decembr. 1689.*

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

